De Hannonis Carthaginien... Periplo

Curt Theodor Fischer

Digitized by Google

AH 8017.5

Harvard College Library

FROM THE

SUBSCRIPTION FUND,

BEGUN IN 1858.

18 Sept. 1896.

Digitized by Google

UNTERSUCHUNGEN AUF DEM GEBIET

DER

ALTEN LÄNDER- UND VÖLKER-KUNDE

VON

Theodor

CURT TH. FISCHER.

ERSTES HEFT:

DE HANNONIS CARTHAGINIENSIS PERIPLO.

LEIPZIG,

DRUCK UND VERLAG VON B. G. TEUBNER.

1893.

DE

HANNONIS CARTHAGINIENSIS

PERIPLO

SCRIPSIT

CURTIUS THEODORUS FISCHER.

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXXXIII.


HARVARD COLLEGE
SEP 18 1896
LIBRARY.

CURTIO WACHSMUTH

OTTONI RIBBECK

PRAECEPTORIBUS OPTIMIS

S

Cum de longe plurimis quae Phoenices antiquissimis iam temporibus ad novas terras quaerendas susceperunt itineribus paucissima tantum eaque parum accurata veterum scriptis tradita acceperimus, unus saltem aetatem tulit periplus inter servatos geographos primum obtinens locum. Hanno enim Carthaginiensium dux per fretum Gaditanum in Oceanum evectus, ut in Libyae ora occidua colonias conderet, cum in Mauretaniae litore, dein in fertili illo tractu qui medius intercedit inter Atlantis montis vertices et arenas deserti, postremo in Cerne insula emporia constituisset nec non hoc negotio feliciter peracto ulteriorem etiam orae partem praeternavigasset, in patriam reversus concisam totius navigationis narrationem in publico proposuit (cf. Arist. or. 48 [t. II p. 474. 5 Dind.]), cuius tituli versionem graecam ad nos propagavit clarissimus ille codex Palatinus, cui quantum debeant omnes geographicis studiis dediti vix est cur pluribus moneam. Res vero est nemini non nota, huic Hannonis relationi a renatis litteris ad hunc usque diem permultos operam navasse et philologos et geographos, neque id mirum; nam cum ipsa inaudita fere qua Carthaginiensium expeditio perfecta est audacia omnium in se convertit oculos[1]), tum inter omnia quae de Libyae ora occidentali prostant apud veteres, Hannonis periplus maximam praebet utilitatem, ita ut iure merito thesauri instar habeatur[2]). Attamen ut nil est in rebus humanis, quod ita perfectum sit, ut non possit magis perfici, ita in huius quoque libelli explicatione non pauca sunt, quae qui non temere acquiescat aliorum repertis, retractanda accuratiusque expolienda esse intellegat et quamvis innumerabilis sit eorum

1) cf. Vivien de St. Martin, *le nord de l'Afrique dans l'antiquité* p. 333: 'l'un des plus grands faits de navigation, le plus grand peut-être de toute l'antiquité.'

2) cf. Vivien de St. Martin, *histoire de la géographie et des découvertes géographiques* p. 36: 'un des plus précieux fragments géographiques que l'antiquité nous ait légués.'

numerus qui multum operae in Hannonis titulo explicando posuerunt[1]), nihilosecius non sine aliquo fructu redintegrari quaestio potest duplici maxime de causa: altera ea est, quod his ipsis demum annis tandem aliquando certius edocti sumus, quaenam sit occiduae Libyanae orae natura, postquam illa plus aequo a geographis neglecta diu iacuit, ita ut hinc Hannonis quoque periplo nova lux affulgeat; nam minime omnes iam sublatas esse difficultates recentissimus interpres palam profitetur[2]). Alteram hanc affero: qui anthac materiam nostram pertractarunt, topographicam solam solvere studuerunt quaestionem omissis reliquis; at pretium est operae, id maxime persequi, quando quaque via periplus punica quondam conscriptus lingua Graecis innotuerit, quinam posterioris aetatis geographi inde hausisse videantur, quatenus certae quaedam

1) Sunt, ut plane inutiles omittam, dignae quae commemorentur commentationes praeter eas quas laudatas invenis apud Muellerum (*geogr. gr. min.* I prol. p. XVIII sqq. p. 10 sqq.), haece:

Osann *Zeitschr. f. Alterthumsw.* 1855. XIII p. 537 sqq.
Judas *Revue de l'Orient, de l'Algérie* 1860. p. 206 sqq. 250 sqq.
Robiou *Revue archéol.* n. s. II 1861 v. 3 p. 195 sqq.
Brandes *Jahresbericht des Vereins f. Erdkunde zu Leipzig* 1862. p. 55 sqq.
Vivien de St. Martin, *Le nord de l'Afrique dans l'antiquité* 1863. p. 326 sqq.
Knoetel, *Der Niger der Alten* 1866. p. 13—28.
Tauxier *Le Globe* 1867. p. 332 sqq.
Vivien de St. Martin, *Histoire de la géographie* 1875. p. 36 sqq.
Tissot, *Géogr. comparée de la Maurétanie Tingitane: mém. prés. à l'acad. des inscr.* I 9, 1. 1876. p. 180 sqq.
Peschel, *Gesch. d. Erdkunde* ed. Ruge 1877. p. 21 sqq.
Meltzer, *Gesch. d. Karthager* I 1879. p. 229 sqq.
Bunbury, *A history of ancient geography* 1879. I p. 318 sqq.
Paulitzschke, *Die geogr. Erforschung des afrik. Continents* 1879. p. 11 sqq.
Entz, *Der Periplus des Hanno, progr. Marienb.* 1883/84.
Berlioux, *La terre habitable vers l'équateur* 1884.
Mer, *Mémoire sur le périple d'Hannon* 1885.
Goebel, *Westküste Afrikas im Alterthum, diss. Lips.* 1886. p. 8. 52 sqq.
Joaquin Costa *Rev. de geogr. comercial* II 1886. n. 25—30.
Scharnik *Archiv f. Post u. Telegr.* 1887. p. 398 sqq.
Trève, *Le périple d'Hannon d'après quelques travaux récents* 1888.
Antichan, *Grands voyages de découvertes des anciens* 1888.
Goetz, *Verkehrswege im Dienste des Welthandels* 1889. p. 271 sqq.

2) cf. Trève p. 4: 'C'est qu'en effet nous ne considérons pas ce problème géographique comme résolu dans toutes ses parties.' Contra Merium l. l. p. 17 iniuria gloriari 'aussi en lisant la relation il m'a paru facile de la suivre point par point, jour par jour' infra demonstrabo.

veterum opiniones geographicae ex eo pendeant. Ne vero quid praetermittatur, plene copioseque etiam de Hannonis aetate disseram, cum praesertim quantopere de ea adhuc fluctuet iudicium testis sit ipse Berger, vir summus ac prae ceteris veterum geographiae peritus[1]). Omnino autem id non ingratum fore viris doctis duxi, si quae diversissimis locis de Hannonis expeditione disputata sunt quaeque non sine multo negotio undique conquiruntur, uno quasi conspectu proponantur et diiudicentur, ut si qui post nos studium in vetustissimum hunc periplum collaturi sint, quid certum, quid dubium sit, faciliore fortasse opere possint dignòscere.

Iam vero his praemonitis ad ipsam rem accingamur!

---

1) *Geschichte der wissenschaftlichen Erdkunde der Griechen* II (1889) p. 38: 'Ob die Expedition des Hanno noch im 6. Jahrhundert oder zu Anfang des 5. stattgefunden hat, wird sich bei aller Sorgfalt der Untersuchung doch nicht entscheiden lassen.'

Caput I.

Quaestionem topographicam si quis denuo tractare vult, proficiscendum ei est ea ex re, undenam Hanno ipse distantiarum numeros computaverit. Qui ita loquitur (§ 2): *ὡς δ' ἀναχθέντες τὰς Στήλας παρημείψαμεν καὶ ἔξω πλοῦν δυοῖν ἡμερῶν ἐπλεύσαμεν* e. q. s. Erat inter veteres geographos magnus de eis quae Herculis vocantur columnis dissensus (cf. Strab. III 5, 5 p. 170 C. Scymn. Ch. v. 143 sq. Avien. or. m. v. 341 sqq. Eust. ad D. P. v. 64 Philostr. vit. Apoll. V 1. Hesych. s. v.)[1]. Fuerunt enim, qui in orientali freti fine columnas esse putarent Calpen Europaeam montemque ei in Africae litore oppositum Abilam; fuerunt, qui cum insulis utrinque sibi vicinis eas componerent; fuerunt, qui aliud quid halucinarentur[2]). At Graecos mittamus; nostra interest com-

1) cf. Humboldt, *krit. Untersuchungen* I p. 451 sqq. Ukert, *Geogr.* II 1 p. 249. Forbiger, *Hdb. d. a. G.* II p. 867 adn. 68. Berger, *Erat. fragm.* p. 312.

2) In tanta sententiarum multitudine non substiterunt recentiores: quippe Entzius l. l. p. 5 Cotes promunturium et Gades urbem pro columnis habuit commotus ut suam proferret sententiam eis Scylacis verbis quae leguntur §§ 1 et 111: *αὗται* (scil. *αἱ Ἡράκλειοι στῆλαι*) *διέχουσιν ἀπ' ἀλλήλων πλοῦν ἡμέρας.* Concedendum sane est, inter hodiernum promunturium *Spartel* et *Cadiz* urbem 500 fere stadia intercedere; attamen ne cum Entzio faciamus, obstat, quod ibidem legimus: *Καὶ νῆσοι ἐνταῦθα ἔπεισι δύο, αἷς ὄνομα Γάδειρα. Τούτων ἡ ἑτέρα πόλιν ἔχει ἀπέχουσαν ἡμέρας πλοῦν ἀπὸ Ἡρακλείων στηλῶν.* Eodem etiam deducimur ea re, quia § 111 alteram earum ipse Scylax Abinna vocat: *Ἡράκλειος στήλη [ἡ] ἐν Λιβύῃ, ἄκρα Ἀπιλύνη, πόλις ἐν ποταμῷ καὶ ἀντίον αὐτῆς τὰ Γάδειρα νῆσοι.* Quae verba vitium traxisse certum est, nec minus certum genuinam lectionem a Gronovio-Muellero (p. 90) non iam recte restitutam esse. Haud scio an ea ita vitio liberem, ut scribi iubeam: *Ἡράκλειος στήλη [ἡ] ἐν Λιβύῃ, ἄκρα Ἄβιννα, Λύγξ πόλις ἐν ποταμῷ* e. q. s. quamquam si mavis scribere *Ἀβίλυξ, ⟨Λύγξ⟩ πόλις* non pertinaciter repugnem: illam formam ob ipsas codicis litteras praetulerim (cf. Eust. ad Dion. Per. v. 64: *ἡ δὲ Λιβυκὴ κατὰ βαρβάρους Ἄβιννα καλουμένη, Ἑλληνικῶς δὲ Κυνηγητική* e. q. s. Philostr. V 1; cf. Bernhardy, *Dion.* p. 603 adnot. Mueller II p. 228. Berger, *Erat. fr.* p. 313 adn. 1).

perire, quid censuerint Poeni. Videmus autem horum de Herculis columnis opinionem minime vagam fuisse et errantem. Tyriis enim oraculo iussis coloniam ad columnas Herculis condere, cum emisissent, qui urbem non procul a Calpe monte aedificarent, rem male cessisse Strabo narrat (III 5, 5 p. 169 C) neque plus profecisse aliquanto tempore post missos, mille quingenta stadia extra fretum progressos ad insulam Herculi sacram, sitam e regione Onobae, oppiduli Iberici; immo tum demum felicem exitum habuisse Ty io-rum expeditionem, cum ad ipsarum Gadium locum appulis nt ibique condidissent urbem: quo factum, ut Poeni, Libyes, Iberes Herculeas columnas vulgo Gadibus quaererent (cf. Strabo III 5, 5 p. 170 C), et quamquam hoc Straboni summopere displicet — etenim *τὰ Γάδειρα οὐκ ἐν τοιούτοις ἵδρυται τόποις, ὥστε ἀποδηλοῦν ἐσχατιάν, ἀλλ' ἐν μέσῃ πως κεῖται μεγάλῃ παραλίᾳ κολπώδει* cf. III 5, 6 p. 172 C — tamen Posidonio quoque veri omnium simillimum videbatur, Herculis columnas esse positas in Herculeo Gaditano octo cubitorum columnas, in quibus perscriptus erat sumptus in fani factus aedificationem (cf. Strab. III 5, 5 p. 170 C). Itaque re diligenter considerata me quidem iudice dubitatione maius est, quin Hanno termino illo nil aliud significare potuerit, nisi ipsas columnas Gaditanas. Si enim a communi illo Poenorum consensu recessisset, periculum erat, ne narratio ad omnium iudicium popularemque intellegentiam accommodata non eveniret[1]). Adde quod hinc etiam apparet, quid sit, quod se non pervectum esse columnas dixit, sed praetervectum; quamquam id nolo in eam partem accipiat quisquam, quasi Carthaginienses ipsis Gadibus appropinquasse in itinere existimem: nam nimium haec urbs dista-

Lixi urbis memoriam revocavi e Plinio (V 1) et Stephano Byzantio (s. v. *Λύγξ*). Denique ad Calpen et Abylen montes necessarium est referamus, quae adduntur apud Scylacem haec: *ἡ μὲν ἐν τῇ Λιβύῃ ταπεινή, ἡ δὲ ἐν τῇ Εὐρώπῃ ὑψηλή*: etenim prope hodiernam *Gibraltar Punta de Europa* alte in auras attollitur (425 m.), cum qui in Libyae ora obiacet collis *del Acho* hodie vocatus ne dimidiam quidem altitudinis partem assequatur (194 m.). Contra in Gadium vicinia mons omnino non invenitur. De distantia vero illa iusto maiore ex qua egressi sumus plane assentior eis quae Mueller exposuit ad Scylacis § 1 (I p. 15).

1) Simile quid in Avieni or. m. vv. 162. 562 statuendum esse censuit Muellenhoffius, *Deutsche Alterthumskunde* I p. 144 adn. Cadit vero eius sententia eam ob causam, quod Punicum fontem ab Avieno non exscriptum esse probavit Gutschmidius *Litt. Centralblatt* 1871 p. 524/25.

bat a Libyae litore. Simul vero id inde assequimur, Hannonem, cum occiduam Libyae oram praeternavigaret, non potuisse aliunde mensuras computare, nisi ab Ampelusia promunturio, quod huius orae caput atque exordium esse Mela dicit (I 25). Quae cum ita sint, et aliae opiniones, quae hic illic de hac re prolatae sunt — quas sciens praetereo — collabuntur et Gosselini[1]), quam ideo paucis stringam, quia ad hunc usque diem magni ex ea nati sunt errores[2]). Neglegenter enim ille (l. l. p. 71. 72): 'tout le monde sait', inquit, 'que les anciens donnaient le nom de colonnes aux montagnes placées sur les deux presqu'îles qui se détachent l'une du continent de l'Europe, l'autre de celui de l'Afrique; autrefois on les nommait Calpé et Abyla, aujourd'hui ce sont les montagnes de Gibraltar et de Ceuta.' Itaque ab his montibus Hannonis quoque numeros emetiendos esse arbitratus est[3]); cum vero hoc sine causa sumptum sit, tota eius explicatio corruit.

Sed iam adiungamus nos comites Hannonis itineri! *Ὡς ἔξω πλοῦν δυοῖν ἡμερῶν ἐπλεύσαμεν*, ait ille, *ἐκτίσαμεν πρώτην πόλιν ἥντινα ὠνομάσαμεν Θυμιατήριον*[4])· *πεδίον δ' αὐτῇ μέγα ὑπῆν.* Inquirendum est, ubinam haec urbs sita fuerit, et cum Hannonis ipsius mensura etsi spatium non nimis amplum circumcludit tamen non sufficiat, ut unum certumque locum quonam oppidum transferendum sit enucleemus, auxilio arcessendus Scylax, ex quo quae apud Hannonem manca sunt apte supplentur. Ac de universa

---

1) *recherches sur la géogr. systematique et positive des anciens* I p. 63 sqq.

2) Gosselini vestigia apprime secuti sunt Gail *geogr. gr. m.* I, Humboldt, *krit. Untersuchungen* I 559. II 95, Walckenaer, *recherches s. l. géogr. de l'Afrique* p. 362, Lelewel, *Entdeckungen der Karthager u. Griechen auf dem atlantischen Ocean* p. 81 sqq., Tauxier l. l. p. 333 sqq.

3) Numerat, ut unum exemplum ponam, ex Abyle et Calpe montibus Plinius, cum V 1, 9 Lixum a Gaditano freto abesse CXII Agrippam secutus dicat.

4) Quod attinet singulorum oppidorum, fluminum, promunturiorum nomina, post Bochartum *geogr. sacr.* 173 sqq. imprimis Moversius, *Die Phönikier* II p. 244. 274. 291. 295. 335. 344. 516. 534 eorum etyma enucleare studuit. Totus etiam pendet ex una sonorum similitudine, quae recentioribus nominibus cum priscis intercedit Judasius (l. l. p. 206—222. 250—71). Equidem haec omnia infirmis pedibus stare a Socinio, qua est humanitate, certior factus consulto in proximis neglexi quae ex nominum originibus repeti solent argumenta.

quidem eius relationis indole infra pluribus agam; nunc certa ex re profectus ea solum eligam, quae cum hac ipsa in qua nunc versamur quaestione arte cohaerent. Certissimum vero est, Lixum fluvium, cuius ostio duplex apponitur urbs et Punica et Lybica, componendum esse cum hodierno *Ued el Kus*[1]), qui ad *El Araisch* oppidum in mare eructat, etiamnunc ruinis spectabile[2]): optime enim huc quadrant, quae et de fluvio et de urbe a veteribus tradita accepimus (cf. Plin. V 1, 3. Ptolem. IV 1, 13. itin. Ant. p. 7[3])). Qui deinceps sequitur Crathis rivus[4]), dubitaverit fortasse quispiam, utrum sit hodiernus *Ued Sebu* an *Bu Regreg*: utriusque os duorum ferme dierum iter abest ab Ampelusia promunturio, sicuti flagitatur Hannonis distantiarum nota[5]): nam Thymiaterion ipsi Crathi flumini adiacere ex Scylacis verbis[6]) pro certo colligitur. Litem discernit, si quid video, Mnaseae Periegetae testimonium (cf. Plin. XXXVII 38), qui Crathin in oceanum effluentem facit e lacu quodam, in quo Meleagrides aves vivant et Penelopae: hanc Meleagridum paludem eandem esse ac Scylacis Cephesiadem nec

---

1) Optimae harum regionum tabulae delineatae sunt a Petermanno *Pet. ann.* 1862. 1864/65, (cf. Rohlfs, *Reise durch Marokko*) Tissotio *m. d. l'acad. d. inscr.* I 9, 1; *bull. d. l. soc. d. géogr. de Paris* 1876 II p. 225, Beaumiero *bull.* 1876 II p. 241, Conringo, *Marroco.* Nuper adhibitis omnibus recentioris aetatis itinerariis accurate totam Mauretaniam descripsit Paulus Schnell *Pet. ann. suppl.* 103. 1892, cuius commentationi mappa diligentissime confecta adhaeret. Anglorum tabula maritima, quae a promunturio *Spartel* pertinet ad *Gambiam* fluvium, edita est a. 1886.

2) Exhibent huius urbis imaginem Tissotius p 211. 213. 216 et Reclusius *nouv. géogr. comp.* XI p. 714.

3) cf. C. I. L. VIII 2, p. 855. Vivien de St. Martin p. 353/54. Tissot p. 210 sqq. De huius urbis nummis cf. Barth, *Wanderungen durch die Küstenländer des Mittelmeers* p. 19. 49, Müller, *numism. de l'anc. Afrique* III p. 155, Head, *hist. numm.* p. 748.

4) Hanc lectionem pro codicum scriptura ex Plin. XXXVII 38 cum aliis recipio.

5) In cuiusque diei navigationem sumenda esse 500 ferme stadia, recte probavit Entzius l. l. p. 8. Quid veteres auctores, qui ipsi non nimis accuratos esse tales distantiarum numeros haud ignorabant (cf. Marc. Her. ep. per. mar. int. V), de navigationum longitudine statuerint, vide sis ex his locis: Herod. IV 86. Scyl. 69. Ptol. I 17. Marc. Her. ep. V: cf. Breusing, *Nautik der Alten* I p. 11 sqq.

6) *Κράθις ποταμὸς καὶ λιμὴν καὶ πόλις Φοινίκων*; cf. *ποταμὸς μέγας Λίξος καὶ πόλις Φοινίκων Λίξος*.

diversam ab hodierna *Merdja Ras ed-Dura* res ipsa loquitur[1]). Iam vero inde consectarium est, Crathin eo loco egressum esse, ubi hodie egreditur *Ued Sebu*, qui solus cum illo lacu conexus est. Quae si recte disputata sunt, de ipsius quoque Thymiaterii situ dubitatio amplius esse nequit: necessario quaerendum est, ubi nunc vicus exstat, cui in mappis nomen adscriptum legimus *Mehedia*[2]). Tradiderat Hanno, sub Thymiaterio oppido magnam patuisse planitiem: *Mehediam* loco sublimi impositam peramplis dominari campis Tissotius (l. l. p. 227) exponit, testis ocularius, cum dicat: 'Mehdiya est le seul point de la côte occidentale qui domine une grande plaine; du plateau qu'elle occupe le regard embrasse l'immense bassin du Sbou.' Idem addit, ipsius *Sebu* fluminis ostium optimum quondam effecisse portum: 'L'estuaire du Sbou' inquit 'aujourd'hui ensablé formait il y a trois siècles à peine un des plus beaux ports du littoral, son embouchure pouvait abriter des flottes entières dans ses vastes replis.' Ac similiter, ut e nostratibus unum alterumve laudem, Rohlfsius[3]) et Conringus[4]) situm huius loci ad commercia nectenda dominationemque totius orae obtinendam insignem in modum accomodatum esse iudicant[5]).

Quoniam igitur de hac prima colonia inter nos convenit, protinus prosequamur Hannonem! Qui ita pergit loqui: ***Κἄπειτα πρὸς ἑσπέραν ἀναχθέντες ἐπὶ Σολόεντα, Λιβυκὸν ἀκρωτήριον, λάσιον δένδρεσι συνήλθομεν.*** Laborantibus nobis et mensuram ab Hannone

1) cf. Mueller *g. gr. m.* I p. 2. 91 Rohlfs, *Mein erster Aufenthalt in Marokko*[3], 1885 p. 370, Conring p. 47; Tissotium (p. 197) et Vivienum de St. Martin (p. 351 sq.) qui oblocuti sunt, infra refutabo.

2) cf. Mueller p. 2. Knoetel p. 17. Tissot p. 225. Trève p. 13. Ceterum de *Tanger* urbe cogitaverunt Gosselinius p. 65. nec non eius asseclae; de *El Araisch* oppido Heerenius, *Ideen* II p. 519; *de Rabat* Klugeus (*ed. per.* p. 19), Vivienus de St. Martin p. 357, Entzius p. 14; de *Masagan* Mer p. 24.

3) cf. p. 371: 'Auf einem hohen Hügel, der die fruchtbare nach Nord und Süd sich weit ausdehnende Ebene beherrscht, liegt das Dorf Mehedia, das seiner beherrschenden Lage wegen einst mächtig war und leicht wieder zu einer blühenden Stadt gemacht werden könnte.'

4) cf. p. 47/48: 'Diese Stadt wurde durch den berühmten Jacub-el-Mansur gegründet, der in richtiger Erkenntnis der Wichtigkeit des viele Kilometer schiffbaren Sebu, sowie auch der ausgezeichneten strategischen Position des Ortes diesen Knotenpunkt der Hauptstrassen stark befestigte. cf. *Africa Pilot or sail. direct. f. the west coast of Afr.* I p. 53.

5) Commemoratur haec colonia etiam apud Stephanum Byz. s. v., qui similiter atque Scylax Thymiateriam eam vocat.

omissam querentibus opem ultro ferunt Scylax, Plinius, Ptolemaeus. Ac primum quidem Scylax (§ 112) ab Hermaeo promunturio ad Soloentem trium dierum praetervectionem esse testatur. Hermaeum autem promunturium ex Scylacis computo duorum dierum iter distat ab Ampelusia, 174 m. p. a Tingi urbe in itinerarii Antonini tabulis (edd. Pind. et Parth. p. 3)[1]). Iam vero si inde orae longitudinem in mappis nostris emetieris, stadia habebis fere mille et septingenta — quae tridui navigationem apud Scylacem exaequare efficitur ex eis quas modo laudavimus distantiarum notis inter se collatis — usque ad hodiernum *Cap Cantin.* Quodsi dein a Plinio (V 1, 9) Solis promunturium — ita enim Punicam vocem in Latinum verterunt sermonem, unde iterum gliscente errore Ptolemaei (IV 1, 2) *Ἡλίου ὄρος* originem duxit — non procul a Rutubi portu meridiem versus collocatur, hoc quoque aliam non admittit interpretationem, nisi ut de *Cap Cantin* cogitemus. Etenim cum Rutubis portus a Lixo abesse dicatur 224 m. p., deducimur hanc emetientes distantiam ad *Masagan* oppidum[2]): atque profecto inter hanc urbem et *Cantin* promunturium brevissimum intercedit spatium. Eodem denique pervenimus ratione habita Ptolemaei, qui (IV 1, 2) *Ἡλίου ὄρος* ponit sub 31° 15′ non longe a veritate recedens: nam vera promunturii Cantin latitudo est 32° 32′ 27″. Haec sunt certa testimonia, quae nullo modo labefactantur Herodoti ambiguis et perplexis verbis (II 32. IV 43. IV 32)[3]); immo haec non flocci facio: nimirum Herodotus — non viserat ipse occidentales has regiones — ea tantum refert, quae incertis rumoribus falsisque opinionibus obscurata audiverat.

Cum vero Scylacis, Plinii, Ptolemaei notis certum iam iactum sit fundamentum, quo nisi veterum Soloentem promunturium hodiernum *Cap Cantin* esse[4]) et Hannonem hucusque a Thymiaterio urbe

---

1) Aliter sentiunt Tissotius p. 196 et Vivienus p. 351. 418.

2) cf. Tissot p. 237, Vivien de St. Martin p. 361 sq.

3) Cum Herodotus II 32 Soloentem promunturium dicat *τελευτᾶν τὰ τῆς Λιβύης*, vulgo referuntur eius verba ad *Cap Spartel*: cf. Wiedemann, *Herodots 2. Buch* ad h. l.

4) cf. Mannert, *Geogr. d. Gr. u. R.* X 2, 495. Movers II 2, 544. Mueller p. 3. Tissot p. 239. Vivien de St. Martin p. 356. Entz p. 33. Trève p. 17. *Cap Blanco* intellegi voluerunt Heerenius p. 103, Klugeus p. 32; *Cap Gir* Robiou p. 199 (cf. Mer p. 126), Knoetelius p. 18, Berlioux p. 36; *Cap Bojador* Bougainvillius *mém. de l'Acad.* t. XXVI p. 16.

quattuor dies navigasse contendamus, huc non leve pondus aliae addunt causae. Videlicet Scylax l. l. auctor est, Soloentem promunturium in mare plurimum prominere. Iam compara mihi, quae recentioris aetatis nautae ac viatores rettulere haec: 'lorsque l'on vient du nord', ait Mer (l. l. p. 26), 'en suivant la côte à petite distance, le cap Cantin, très remarquable, très escarpé, se dessine nettement sur le ciel, comme s'il était la partie la plus ouest de la côte. On n' aperçoit plus après lui aucune terre au large et en voyant ces parages pour la première fois, on doit naturellement supposer qu'il est l'extrémité de la Libye'[1]). Neque ideo habemus, cur a nostra opinione decedamus, quod, cum Hanno Soloentem promunturium frequentibus vestitum fuisse silvis dicat, hodie *Cap Cantin* arboribus nudum est: nam qui hoc affirmat, Tissotius (p. 245) dignior mihi esse videtur, cui fidem habeamus Merio, qui (p. 26) plane contrarium autumat. Sed reputandum est, tot saeculis intermissis facillime silvam illam deleri potuisse, neque id praetermittendum, Vivienum de St. Martin (p. 363) nos edocere, *Mauros* appellare *Cantin* promunturium *Ras-el-Hadik*, i. e. 'cap des bois de palmiers', unde non ita multo ante *Cap Cantin* silvis coopertum fuisse evincitur. Tissotio etiam teste utar, ut quo iure Scylax Soloentis viciniam *ἱερωτάτην* vocaverit, planum fiat: nimirum hodie quoque in *Cantin* promunturio murus circularis lapidibus extructus est qui vocatur *Medjma-a-es-Salihin*, i. e. 'la réunion des purs, des sanctifiés', 'un des sanctuaires les plus vénérés d'une région qui aujourd'hui comme au temps de Scylax, est une des plus saintes de l'Afrique[2]).' Restat unum argumentum gravissimum. Sequuntur enim in Hannonis periplo haec verba: *Ἔνθα Ποσειδῶνος ἱερὸν ἱδρυσάμενοι πάλιν ἐπέβημεν πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα ἡμέρας ἥμισυ.* Inspicias quaeso tabulas: videbis primo obtutu, oram a septentrionali fine ad promunturium *Cantin* recta protensam linea hic paullulum orientem versus recedere eumque efficere sinum, qui gallice nominatur *baie de Saffi*[3]). Antequam autem huc contenderent Carthaginienses, ancoras iecerunt in parvulo portu, non multum a

1) cf. Tissot p. 241. Jannasch, *deutsche Handelsexpedition* 1886 p. 33. *Africa Pilot* p. 57. Conring p. 77: 'Höher und höher steigend tritt das felsige Cap Cantin weit in den Ocean'.

2) cf. Tissot p. 247. Entz p. 22.

3) cf. Vivien de St. Martin p. 400. Tissot p. 247 sq. Mer p. 26.

Cantin promunturio septentrionem versus dissito prope hodiernam *Beddouza*[1]).

Iam vero ad orientem solem cursum tenuerunt, *ἄχρι ἐκομίσθημεν* — inquit Hanno — *εἰς λίμνην οὐ πόρρω τῆς θαλάττης κειμένην, καλάμου μεστὴν πολλοῦ καὶ μεγάλου· ἐνῆσαν δὲ καὶ ἐλέφαντες καὶ ἄλλα θηρία νεμόμενα πάμπολλα.* Quae verba multam dubitandi materiam praebuerunt. Nam cum et vetustiores[2]) et qui nuperrime et diligentissime occiduam Libyae oram perscrutati sunt, Hooker et Ballius[3]) reapse illum tractum paludosum et iuncosum esse testentur — 'true it is', aiunt, 'that south of Cape Cantin there are two shligt indentations, mere coves, where the land for a short distance trends to the south-east' —, hoc ita esse praefracte negat Tissotius (l. l. p. 249), qui etiam de *Tensift* fluvii inundationibus cogitari vetuit. Idem demonstravit certis iustisque argumentis, hanc orae partem maris vi atque impetu maximas pati solere mutationes: 'on pouvait encore', inquit p. 250, 'il y a vingt ans longer les remparts qui défendent Asfi du côté de l'est: la mer les baigne complétement aujourd'hui. Des habitants de Mogador m'ont dit avoir vu il y a moins d'un demi-siècle les troupeaux passer facilement à marée basse du continent dans l'île, là même où la passe présente aujourd'hui une profondeur de 4 à 5 mètres'[4]). Quae cum ita sint, quid mirum, paludem illam Hannonis aetate mari adiacentem, altam *Tensift* fluvii aliorumque rivorum aquis diu iam maris fluctibus haustam interisse? Minus etiam offensionis habet, quod in illo lacu elefantos fuisse Hanno narrat: quos, etiamsi nunc ultra *Senegalem* fluvium non vagantur[5]), antiquissimis temporibus etiam septentrionalem Libyam infestavisse cum veteres auctores saepiens testes sunt (cf. Aristot. de coel. II 14. 15. Plin. VIII 2. 32. Cic. ad fam. IX 6) tum probant et Mauretaniae haud pauci nummi elefantorum effigie ornati[6]) et quae

---

1) cf. Tissot p. 246.

2) cf. Jackson, *an account of the empire of Marokko* p. 45.

3) *Marokko and the great Atlas* p. 372. Mer p. 27 adn.

4) De eodem orae tractu idem exponit T. Hodgkinius, *on some superficial geological appearances in North-Western Morocco: proc. of the r. geogr. soc.* 1864, IX p. 24; cf. Schnell p. 38.

5) cf. Wallace, *geogr. Verbreitung der Thiere* II p. 257. *Atlas d. Thierverbreitung:* Berghaus, *phys. Atlas* VI (ed. Marshall) II D.

6) cf. Livingstone, *missionary travels and researches in South-Africa* 1858 p. 604. Head, *hist. numm.* p. 747.

passim in occiduis regionibus reperiuntur eorum imagines insculptae lapidibus quorum magnam partem accurate describit Duveyrier[1]); nimirum deterior facta est harum terrarum condicio, quae siccae desertaeque nunc iacent, cum quondam abundaverint aqua[2]).

Iam vero explicatius disserendum est de hisce Hannonis verbis: *Τήν τε λίμνην παραλλάξαντες ὅσον ἡμέρας πλοῦν, κατῳκίσαμεν πόλεις πρὸς τῇ θαλάττῃ καλουμένας Καρικόν τε τεῖχος καὶ Γύττην καὶ Ἄκραν καὶ Μέλιτταν καὶ Ἄραμβυν.*

Priusquam ad singula accedamus, pauca in universum praefabor. Quin pro corrupta codicis lectione *κατῳκήσαμεν* cum Klugeo restituendum sit *κατῳκίσαμεν*, dubitatione vacat: alia autem existit quaestio, quidnam haec vox significet. Idem enim Klugeus omnibus[3]), ni fallor, viris doctis id persuasit, *κτίζειν* esse condere, *κατοικίζειν* urbem diu iam conditam novis incolis frequentare: itaque quinque illa oppida, aedificata a Phoenicibus, a Carthaginiensibus augeri solum et civibus impleri. At futtile hoc Klugei argumentum est. Primum enim utramque rem vocabulo *κτίζειν* exprimi evidenter ostendit Herodotus, qui I 168 haec: *ἔκτισαν πόλιν Ἄβδηρα τὴν πρότερος τούτων Τιμήσιος κτίσας οὐκ ἀπώνητο* (cf. I 167). Omnis autem dubitatio, utrum *κατοικίζειν* exhibeatur de oppidis primum conditis necne, tollitur ea re, quod ipsum hoc verbum ab Hannone usurpatur de Cerne insula, cum ex toto rerum conexu pateat, non posse hic cogitari de vetustiore quadam colonia novis advenis frequentata. Unum igitur fulcrum communi omnium sententiae ereptum est: iam reliqua paucis absolvamus. Nituntur duobus potissimum locis Straboneis, ubi de permultis Tyriorum coloniis extra Herculeas columnas quondam conditis sermo est. Vituperat enim XVII 3, 3 p. 826 C Strabo eorum credulitatem, qui trecenta Tyriorum oppida triginta dierum iter a Lixo distantia sibi finxerint sicuti Artemidorus Eratostheni crimini dedit (cf. Str. XVII

---

1) *Sculptures antiques de la province Marocaine de Sous: bull. d. l. soc. d. géogr. de Paris* 1876, p. 129 sqq. cf. Douls, *bull.* 1888 p. 456: 'on trouve des pétroglyphes sur lesquels on voit gravées des figures représentant des éléphants.'

2) cf. Th. Fischer, *Zur Frage der Klimaänderung im südlichen Mittelmeergebiet und in der nördlichen Sahara: Pet. ann.* 1883 p. 1 sq., p. 4; cf. *Pet. ann. suppl.* 58 1879. Wimmer, *Historische Landschaftskunde* p. 60.

3) cf. Movers, *Phoen.* II 2 p. 529. Mueller p. 4. Meltzer, *Karth.* p. 241. Goebel p. 64.

3, 8 p. 829 C) *διότε Λίξον τινά φησι πόλιν περὶ τὰ ἄκρα τῆς Μαυρουσίας τὰ ἑσπέρια ἀντὶ Λυγγός, Φοινικικὰς δὲ πόλεις κατεσπαρμένας*[1]) *παμπόλλας τινάς, ὧν οὐδὲν ἰδεῖν ἐστιν ἴχνος.* Quem modo laudavi numerum ficticium esse, recte perspexit Meltzer (l. l. p. 426 adn. 15), quamquam quae ibidem, ut ille quodammodo explicaretur, prolata sunt, verisimilitudine omni carent. Equidem ne longius quam pro huius scriptionis consilio digrediar, id minime nego, fuisse pristinis temporibus Tyriorum in Mauretaniae litore colonias[2]). At cum Hannonis expeditio susciperetur, a Pharusiis et Nigritis certe iam dirutae erant (cf. Strab. p. 826 C.): etenim qui ante Hannonem Libyae oram praeternavigavit Sataspes nullum eorum vestigium vidit: alioquin quae ex itinere reversus Xerxi narravit, narrare non potuit (cf. Herod. IV 43). Superest una tantum causa ponderanda: legitur eo quem tractamus loco: *κατῳκίσαμεν πόλεις καλουμένας Καρικόν τε τεῖχος καὶ Γύττην κτλ.* et paulo infra (§ 16) *ὄρος ἐφαίνετο μέγιστον θεῶν ὄχημα καλούμενον* et in extremo periplo (§ 17) *ἀφικόμεθα εἰς κόλπον Νότου κέρας καλούμενον.* Hoc vulgo aiunt non esse: cernebatur mons, quem appellabamus Theon Ochema, sed qui appellabatur, cui hoc nomen iam erat ideoque illud *κατῳκίσαμεν πόλεις καλουμένας Καρικόν τε τεῖχος κτλ.* nil aliud significare, nisi incoluimus urbes quibus nomen iam erat Caricum Teichos e. q. s. Iterum vero falluntur; nam cum saepissime participia illa, veluti *καλούμενος, λεγόμενος* eis apponuntur locis, quibus certa quaedam vox non vulgari, sed tralaticio, ut ita dicam, usurpatur sensu, id quod §§ 16 et 17 fieri nemo est quin intelligat, tum e communi Graecorum usu, de quo copiosius dicere minime necessarium videtur, *καλούμενος* nil est nisi 'qui dicitur, qui vocatur'[3]). Unde sobrie iudicanti apparet, missa inveterata illa opinione, ex qua Hanno veteres urbes novis tantum incolis frequentasse dicitur, id affirmandum esse, Carthaginienses sicuti Thymiaterion aedificaverunt supra commemoratum et Cernen, quae sequetur, ita intermedia quoque quinque oppida ipsos condidisse, de quorum situ iam inquiremus.

---

1) Hanc voculam refinxerim una littera mutata ex ea quam cod. F praebet corrupta lectione *κατεσπασμένας*: edd. vulgo *κατεσκευασμένας*.

2) cf. Movers II 2 p 521. 524.

3) Quodsi Wescheri apographon Parisinum (cf. Dion. Byz. ed. Wescher p. 78) pro *καλουμένας* praebet *κειμένας*, mero librarii errori debetur haec lectio, qui Palatinum pessime descripsit (cf. Mueller *phil. Anz.* 1877 p. 129).

Quod hucusque bono cum fructu vel eam ob rem fieri non potuit, quod tota meridionalis Mauretaniae regio ignotissima erat: 'cette contrée est celle dont la géographie est le moins fixée', anno 1880 optimo iure questus est Henricus de Castries[1]), et similiter Tissotius (l. l. p. 258) 'la topographie du Sous', inquit, 'suffisamment connue dans ses traits principaux, ne l'est pas assez dans ses détails pour que nous puissions préciser l'emplacement des colonies du Périple.' Ac quamquam ex paucis annis accuratior orae delineatio suppetit[2]), tamen ne nunc quidem dissensus[3]) de singulis portubus prorsus poterit tolli. Causa ea est, quod nec Hanno ipse sueta diligentia distantiarum numeros adnotat, nec aliunde auxilium offertur: nam aut omnino non commemorantur a veteribus haec oppida aut ita, ut chorographi utilitatem inde capere non queant. Itaque si quid in re incerta suspicari licet, nil video reliquum esse, nisi ut secundum maximam probabilitatis speciem Hannonis colonias cum eis hodiernae orae locis componamus, 'où des communications entre la terre et la mer étaient possibles'[4]).

Sed quid haeremus? In Caricum murum quae praemisi non iam cadunt; sequamur modo Hannonem ducem, et illius situm

1) cf. *bull. d. l. soc. d. géogr. de Paris* 1880 p. 499.

2) cf. Thomson, *a journey to Sonthern Morocco: proc. of the r. geogr. soc.* 1889 p. 1 sq., map p. 64; Gâtell, *déscription du Sous: bull. d. l. soc. d. géogr. de Paris* 1871 p. 85; *l'ouad Noun et le Tekna: bull.* 1869 p. 257 sqq.; Rohlfs, *Tekna und Nun: Pet. ann.* 1877 p. 422; Jannasch, *deutsche Handelsexpedition* 1886 p. 210 sqq; Quedenfeldt *ann. soc. geogr. Berol.* XXII 1887 p. 427. Novissime omnia complectebantur Fitzavius, *Westküste Afrikas von Agadir bis St. Louis. diss. Lips.* 1887, et Schnellius l. l. p. 26 sqq. 80 sqq.

3) Mueller Caricum Tichos hodiernam *Gouz* esse censuit, Gytten *Mogador* urbem, *Ἄκραν Agadir*; Melittam collocavit ad *Mesae* ostium, Arambyn ad *Arouas* fluminis caput. Vivienus de St. Martin (p. 420) situ respondere arbitrabatur Caricum Tichos hodiernae *Mogador*, Gytten *Kuleikat* viculo; Melittam posuit ad *Ait Amer* fluminis os, Arambyn recognovit in *Agadir* urbe; de Hannonis Acra iudicium cohibuit. Tissotius (p. 261) composuit *Καρικὸν τεῖχος* cum *Agadir* oppido. Entzius (p. 26 sq.) *Καρικὸν τεῖχος* vocat *Mogador*, Gytten apponit ad *Ait Amer* fluvii ostium; Acran non diversam esse opinatur ab *Agadir*, Arambyn ab *Ifni* urbibus. Mer (p. 27 sq.) *Καρικὸν τεῖχος* quaerendum esse existimavit prope *Saffi*, Gytten prope *Mogador*, Acram prope *Agadir*, Melittam in vicinia *Agulae* vici, Arambyn in *Asakae* regione.

4) cf. Trève p. 17.

perbene definiemus. Etenim eius verba (τὴν λίμνην παραλλάξαντες ὅσον ἡμέρας πλοῦν κατῳκίσαμεν πόλεις κτλ.) aliam non admittunt interpretationem, nisi ut primam urbem statim stagno illo praeterito conditam esse arbitremur. Quod si ita se habere concedis, *Καρικὸν τεῖχος*[1]) situm fuisse debet, ubi nunc *Ued Kseb* effluit: hucusque enim pervenis a promunturio *Cantin* unius diei et dimidii navigatione. Respondere itaque mihi videtur Hannonis oppidum hodiernae *Mogador*. Est huius loci condicio felicissima: nimirum bono instructus est portu, navium semper pleno, qui parva quadam insula urbi opposita munitur[2]). Adde quod haud procul ab eo septentrionem versus in eo monte qui nunc audit *Djebel-Hadid* vestigia reperiuntur metallorum quae et Carthaginienses et Romani exercebant[3]).

Quae sequitur urbs Gytte[4]) adiacebat, ni fallor, promunturio *Tufelneh*, in cuius vicinia nullo periculo nautae in ancoris stare possunt[5]).

Tertia Carthaginiensium colonia recte vulgo eadem esse putatur atque *Agadir-n-Irir*. Multiplex huius oppidi opportunitas. Nam portum habet et navium stationem in tota hac ora longe optimam[6]); dein ipsa urbs in summo monte sita ab omni impetu facile defenditur; postremo quae circumiacet regionem vitibus, olivis, aliis arborum generibus abundare, argenti, ferri, cupri nec non auri[7]) venis divitem, coelo beatam, commerciis cum interioris Libyae populis nectendis accomodatissimam esse omnes uno consensu clamitant[8]).

---

1) Novit hanc urbem Ephorus apud Steph. Byz., ubi haec: *Καρικὸν τεῖχος, πόλις Λιβύης ἐν ἀριστερᾷ τῶν Ἡρακλείων στηλῶν, ὡς Ἔφορος πέμπτῃ.* Ptolemaei *Μυσοκάραν λιμένα* (cf. IV 1, 2) ad Hannonis urbem referre dubito.

2) cf. Rohlfs p. 403 sqq. Conring p. 171/72. Jannasch p. 25. Africa Pilot I p. 59 sq.

3) cf. Beaumier *bull. d. l. soc. d. géogr. de Paris* 1868. p. 337. Schnell l. l. p. 37.

4) Ravennatis Gudda nescio an eadem fuerit ac Stephani Byz. et itinerarii Ant. Gilda.

5) cf. *Africa Pilot* p. 63: 'There is reported to be anchorage ground in 10 fathoms under the south side of cape Tefelneh.'

6) cf. Rohlfs p. 416 sqq. Conring p. 178. Jannasch p. 263. Fitzau p. 217.

7) cf. Gatell l. l. p. 84/85. Schnell p. 95.

8) Rohlfs p. 420 sqq. Conring p. 178 sqq. Jannasch p. 267 sq. Soller *C. R. d. l. soc. d. géogr. de Paris* 1887. 13.

Proxima est Melitta[1]) urbs, quae *Mesae* fluminis ostium probabiliter tenuit.

Iam vero cum *Antiatlas* mons ad mare procurrat, toto hoc tractu neque flumen egreditur neque regio invenitur, apta, in qua urbs aedificetur[2]), cum quasi uno ictu omnia mutentur, ubi perveneris ad hodiernum *Ued Nun*. Videlicet pulchriores fertilioresque plagas rarissime alias occurrere Jannaschius (l. l. p. 236) exponit itemque bonum ibi natura effici portum, quo vitam et spiritum incolae ducant. Omnes igitur probabilitatis numeros habet, Hannonis Arambyn ponendam esse ad hodiernam *Asaka* urbem.

Cum vero haec lubrica et ambigua maneant, certum ubi consistamus locum recuperamus ex eis quae sequuntur apud Hannonem: *Κἀκεῖθεν ἀναχθέντες ἤλθομεν ἐπὶ μέγαν ποταμὸν Λίξον.* In Scylacis descriptione (§ 112) Soloentem promunturium excipit *ποταμὸς Ξιῶν*: quam vocem librarii fortassis errore corruptam esse Mueller (p. 5) dixit: nunc idem e Melae III 107 profectus ut Scylaci reddatur *Λιξιών* proposuit[3]). Iam a Soloente ad Cernen septem dierum praetervectio est, orae longitudo recta si progredimur linea 3000 stadiorum, si eius curvaminibus nos applicamus, 3500 a promunturio *Cantin* ad *Draa* fluvium[4]) usque: unde idem temporis spatium Hannonem quoque ea navigatione consumpsisse statuo. Quodsi vero hic *μέγαν ποταμὸν* Lixum appellat, profecto *Ued Draa* maximum omnium quae a deserto septentrionem versus egrediuntur fluminum est, cum ipsum Rhenum longitudine[5]) et tempore pluviali etiam aquarum multitudine superet: labitur enim alveo 2000 m. lato! Praeterea id velim reminiscaris certissimis testimoniis constare, veteribus temporibus huius orae fluvios multo maiores et aquae abundatiores fuisse[6]), id quod ipse infra luculen-

---

1) ad Hecataei fragmentum 327 M. (cf. Steph.-Byz. s. v. *Μέλιττα*) infra recurram.

2) cf. Jannasch p. 234. 236.

3) Hanc coniecturam protulit Mueller ad Ptol. IV 6, 6, sicuti cognovi ex editionis Ptolemaeanae plagulis nondum publici iuris factis, quibus ut uterer, benignissime vir ille doctissimus mihi permisit: cuius benevolentiae maximas ei gratias ago.

4) cf. Mueller p. 5. Tissot p. 256. Knoetel p. 19. Entz p. 30. Trève p. 24. Peschel p. 22.

5) cf. Humboldt, *Ansichten der Natur*³ I p. 147.

6) cf. Rohlfs *Pet. ann.* 1877, p. 424; *neue Beiträge zur Entdeckung und Erforschung Afrikas* 1881, p. 96, de Castries, *notice sur la région de*

tissimo ostendam exemplo. Dein sat memorabilia sunt et egregie confirmant, Lixum vix alium esse atque *Draa* fluvium, quae de huius regionis incolis adduntur ab Hannone: *Παρὰ δ' αὐτὸν* (sc. *τὸν Λίξον*) *νομάδες ἄνθρωποι Λιξῖται βοσκήματ' ἔνεμον, παρ' οἷς ἐμείναμεν ἄχρι τινός, φίλοι γενόμενοι. Τούτων δὲ καθύπερθεν Αἰθίοπες ᾤκουν ἄξενοι γῆν νεμόμενοι θηριώδη, διειλημμένην ὄρεσι μεγάλοις, ἐξ ὧν ῥεῖν φασι τὸν Λίξον· περὶ δὲ τὰ ὄρη κατοικεῖν ἀνθρώπους ἀλλοιομόρφους, Τρωγλοδύτας· οὓς ταχυτέρους ἵππων ἐν δρόμοις ἔφραζον οἱ Λιξῖται.* Nimirum qui oram incolunt pastores illi minime litigiosi, a quibus Carthaginienses hospitio recipiuntur, gentes quaedam erant *Berberorum*, qui eiusdem adhuc animi sunt[1]). Quod supra hos in mediterraneis habitare narrantur Aethiopes, nunc quidem satis habeo, tribus monuisse verbis, Henricum Barth iam e permagnis certi cuiusdam generis aedificiis id collegisse, eos quondam amplam deserti partem in dicione ac potestate tenuisse[2]). Denique non minus aperta vestigia reliquerunt, qui tertio loco enumerantur in Hannonis periplo, Troglodytae, montanorum indigenae iugorum, in quibus Lixi caput est: etenim Hooker et Ballius, cum Atlantem maiorem peragrarent et transcenderent, passim inciderunt in pumilionum domos simplicissimum in modum extructas, de quibus haec rettulerunt (p. 301): 'it is impossible to see these remains without being reminded of the notions current in antiquity as to troglodytas, who dwelt in the neighbourhood of the Atlas mountains and who could run father than horses'[3]). Id unum addiderim, habere nos manifestum indicium, ex quo cognoscatur, qui factum sit, ut Carthaginienses ad Lixi fluminis ostium diutius morarentur; videlicet Jannaschius (l. l. p. 134) haud raro in eius alveo effodi purpuris murices memorat (cf. Plin. V 1, 12): quam rem Hannoni causam extitisse, ut totius regionis naturam curatius pervestigaret, non inepte, opinor, coniciemus.

---

l'Oued Draa: bull. d. l. soc. d géogr. de Paris 1880 II p. 497, Quedenfeldt *Verhandlungen der Gesellsch. f. Erdkunde zu Berlin* 1886 p. 454, Douls *C.-R. d. l. soc. d. géogr. de Paris* 1887 p. 443, Chavanne, *Afrikas Ströme und Flüsse* p. 174, *Afr. Pilot* p. 67.

1) cf. Jannasch p. 133/34, Hartmann *Zeitschr. f. Ethn. suppl.* XI p. 65, Kirchhoff *Pet. ann.* 1890 p. 23.

2) *Zeitschrift der deutschen morgenländischen Gesellschaft* IX. cf. Knoetel l. l. p. 12, Duveyrier, *les Touaregs du Nord* 1864 p. 279/80.

3) cf. Nachtigall, *Sahara und Sudan* I p. 423, Ratzel, *Völkerkunde* III p. 204.

Iam igitur omnia satis explanata esse censeo, nisi forte nescio quis id desiderat commemorari, in Plinii locorum serie (V 1, 10) Daratum, in Ptolemaei tabulis (IV 6, 2) *Δάρατον* manifesto respondere hodierno *Ued Draa*, id quod vel nominum similitudine maxime commendatur[1]). Noli vero mirari, quod ex Hannonis Scylacisque Lixo Daratus factus est: nam saepissime accidisse, ut eadem urbs, idem mons, idem fluvius duplici efferrentur nomine, vel pueri probe sciunt. Quae omnia tam plana esse existimo, ut supersedeam, pugnare cum iis, qui Lixum aut ante *Draa* fluvium septentrionem versus collocarunt — quod ne probemus, impediunt vel Scylacis mensurae — aut multo magis meridiem versus removerunt sive in ipsum desertum, sive ultra desertum[2]).

Iamiam autem transitus fit ad eam quaestionem quae summas omnibus interpretibus excitavit turbas. Cardo enim totius explicationis versatur ea in re, ubinam Cerne insula sita fuerit: 'c'est de la position de Cerné que dépend la solution de toute la question', bene monuit Mer (l. l. p. 36). Audiamus vero quae Hanno ipse nobiscum communicaverit: *Λαβόντες δὲ παρ' αὐτῶν* (sc. *Λιξιτῶν*) *ἑρμηνέας παρεπλέομεν τὴν ἐρήμην πρὸς μεσημβρίαν δύο ἡμέρας, ἐκεῖθεν δὲ πάλιν πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα ἡμέρας δρόμον. Ἔνθα εὕρομεν ἐν μυχῷ τινος κόλπου νῆσον μικρὰν κύκλον ἔχουσαν σταδίων πεντε⟨καίδεκα⟩*[3])*· ἣν κατῳκίσαμεν, Κέρνην ὀνομάσαντες. Ἐτεκμαιρόμεθα δ' αὐτὴν ἐκ τοῦ περίπλου κατ' εὐθὺ κεῖσθαι Καρχηδόνος· ἐῴκει γὰρ ὁ πλοῦς ἔκ τε Καρχηδόνος ἐπὶ στήλας κἀκεῖθεν ἐπὶ Κέρνην. Τοὐντεῦθεν εἰς λίμνην ἀφικόμεθα διά τινος ποταμοῦ μεγάλου διαπλεύσαντες, ⟨ᾧ ὄνομα⟩ Χρε⟨μέ⟩της*[4])*· εἶχε δὲ νήσους ἡ λίμνη τρεῖς μείζους τῆς Κέρνης. Ἀφ' ὧν ἡμερήσιον*

---

1) cf. Tissot p. 255. Vivien de St. Martin 339. 373. 422.

2) de *Tensift* fluvio cogitarunt Heerenius (II p. 520), Klugeus (ed. p. 20), Schauenburgius (p. 31), de hodierno *Ued Nun* Moversius (II p. 548), de *Sus* flumine Vivienus de St. Martin (p. 377) et Forbiger (I p. 66). Bougainvillius (p. 19) Lixum composuit cum *Rio de Oro*, Rennellius (geogr. of Herod. p. 700) cum *Rio de Cypriano*, Mer (p. 29) cum *Senegale*. Gosselinius (p. 80) eiusque pedisequi eum commutarunt cum Lixo septentrionali.

3) Ita Hannonis verba instauranda duco; etenim Cornelius Nepos (cf. Plin. VI 199) Cernen non ampliorem circuitu II m. p. tradidit.

4) Ita legendum esse dudum perspexerunt viri docti Aristotelem (Met. I 13), Nonnum (Dionys XIII 174. XXXI 103), Suidam, Hesychium ss. vv. secuti (cf. Bochart, *geogr. sacr.* I, cp. XXXVII. Mueller p. 8. Vivien de St. Martin p. 385).

πλοῦν κατανύσαντες εἰς τὸν μυχὸν τῆς λίμνης ἤλθομεν ὑπὲρ ἣν ὄρη μέγιστα ὑπερέτεινε, μεστὰ ἀνθρώπων ἀγρίων, δέρματα θήρεια ἐνημμένων, οἳ πέτροις βάλλοντες ἀπήραξαν ἡμᾶς, κωλύοντες ἐκβῆναι. Ἐκεῖθεν πλέοντες εἰς ἕτερον ἤλθομεν ποταμὸν μέγαν καὶ πλατύν, γέμοντα κροκοδείλων καὶ ἵππων ποταμίων. Ὅθεν δὴ πάλιν ἀποστρέψαντες εἰς Κέρνην ἐπανήλθομεν.

Artissimis haec vinculis inter se coniuncta esse, in propatulo est: ad Cernen enim insulam, unde profectus erat, Hanno postremo revertitur: unde consequitur, etiam a nobis coniunctim ea tractanda et si fieri poterit explicanda esse.

Cum vero hac in re rationes meae toto coelo distent a reliquorum interpretum, priusquam pergamus, diligentius iuvat circumspicere, quomodo illi ex his angustiis sese expediverint. Quamquam id neque meum est neque potest esse, totam sententiarum farraginem in medium proferre: immo ne taedium creet infructuosarum rerum commemoratio et mihi et lectoribus, quattuor eligam sagaciter quidem excogitatas ac plerisque probatas viris doctis; reliquas vix dignas, quae commemorentur, silentio praeteribo[1]). In quarum numero ea quoque habenda est, quam Gosselinius, Humboldtius, Lelewelius, Ritter[2]) professi sunt, qui de *Fedala* insula cogitarunt[3]).

Iam vero multi, quibus una quidem ex parte adstipulatur etiam Kiepertus[4]), vir egregius, Cernen ex adverso hodierni promunturii *Gir* contra Atlantem montem sitam fuisse opinantur, cum duo Hannonis flumina ad hodiernos *Ued Sus* et *Ued Mesa* referant. Hoc cur admitti nequeat, ex eis quae supra exposuimus in promptu est, praesertim cum neque Hannonis notae quadrent neque lacus ibi inveniatur.

Progredientibus autem nobis inde a Draa fluvio meridiem versus qui primus occurrit maior sinus hodie vocatur, quamquam

---

1) cf. Mueller *prol.* p. XXX adn. 1, qui iure eorum opinationibus immorari aspernatur, qui Cernen quaesiverint in hodierna *Madère* vel *Alegranza* vel etiam in *Madagascar*.

2) Gosselin l. l. I p. 87. cf. Humboldt *krit. Unters.* II p. 95, Lelewel p. 81 sq., Ritter I p. 887.

3) Recte ait Mer p. 112: 'il était cent fois plus difficile de faire la traversée de Carthage aux Colonnes, traversée de deux cent cinquante lieues, que de parcourir les quarante-huit lieues qui séparent Fédal du détroit.'

4) cf. *Lehrb. d. a. G.* p. 221.

iniuria, *Rio de Oro*, in cuius intimo recessu *Herne* insula terrae continenti proxime adiacet[1]): quam eandem esse atque Hannonis reliquorumque veterum Cernen proclivis erat suspicio ideoque multis placuit geographis[2]): inter hos ipsos autem magna est dissensio, quinam putandi sint Hannonis fluvii ac quousque eius lacus pertineat; nam Vivienus de St. Martin (p. 382) duo *Senegalis* fluvii ostia pro illis habet, lacum vero intellegi iubet hodiernum *lac Nguièr*, cui Entzius (p. 36) ita adstipulatur, ut alterum flumen cum *Gambia* componi malit, cum alii aliter sentiant. Iam contra hanc sententiam paucis pugnabo, non ancipiti, spero, Marte. Atque primum quidem, ne quis animum inducat, de conexu quodam inter veterum Cernen nostramque *Hernen* serio cogitare, duo potissimum in praesens habeo, quae opponam: *Hernen* insulam triginta quinque stadiorum circuitu esse docet, qui singulari de ea nuper egit commentatione Quiroga[3]): non potuit autem inde ex Hannonis aetate maris alluvie pedetemptim aucta hodiernam assequi magnitudinem: etenim huic opinioni repugnat ipsa lapidis, ex quo extructa est, natura[4]). Dein autem antiquissimis temporibus sinus eo loco nullus erat: nam paeninsulam recentioris originis esse, idem ille geologus, quem modo laudavi, enucleavit. Denique rei momentum faciunt Hannonis mensurae: nam quae inter *Draa* fluvium et *Rio de Oro* sinum intercedit distantia multo est maior, quam ut bidui vel tridui cursu ex vulgari navigationis modo confici potuerit, atque simili modo etiam Scylacis notae (§ 112) plane ad irritum caderent. Hoc omnino neglexerunt viri docti; illi difficultati ita occurrere studebant, ut inserta littera ι pro δύο ἡμέρας scriberent δώδεκα ἡμέρας. Miram quidem artem, quae ut pravam opinionem expellat, non modo mutet scripturam codicis, sed multo maiorem etiam errorem Hannoni affingat! Etenim quo modo duodecim dies ab *Ued Draa* ad *Rio de Oro* sinum Carthaginienses navigaverint,

1) Hic sinus delineatur a Fitzavio (l. l. p. 237), Knoetelio (l. l. p. 25), Bonellio *bol. d. l. soc. geogr. de Madrid* XVIII 1885. I. Accuratissima eius tabula confecta est ab Anglicis nautis: 'The river Ouro on the West Coast of Africa by Lients Vidal and Mudge'.

2) cf. Vivien de St. Martin p. 382. Entz p. 33. Goebel p. 53. Bunbury p. 323. Peschel p. 21. Knoetel p. 15. Joaquin Costa, *Rio de Oro en la antiguedad: rev. de geogr. com.* II 1886 p. 10—36.

3) *estructura et origin de la peninsula de Rio de Oro: rev. de geogr. com.* 1886 p. 8 sqq.

4) cf. Fitzau l. l. p. 237.

nemo facile dixerit. Quod cum non fugisset Muellerum, qui nunc quidem (ad Ptol. IV 1, 2 p. 574) in eorum castra transire statuit, qui Cernen cum hodierna *Herne* componunt — dubitaverat iam, cum prolegomena ad geographos graecos minores conscriberet (cf. p. XXVI) — pro **β' ἡμερῶν** legi voluit **η' ἡμερῶν**, quem computum a vero proxime abesse censet. Hoc sane verum est, sed si licet pro arbitrio quae tradita sunt verba mutare, nil est, quod non possit effici. Postremo quae Entzius (p. 33) de hac re protulit, satius duco tacere. Leviora sunt, quae restant, nec tamen per se spernenda: unum alterumve attingam potius quam uberius persequar: Hanno priusquam in lacum pervehatur, priorem pernavigat fluvium, tum demum pervenit in alterum, ita ut necessarium sit lacum inter duo illa flumina medium interponamus, cum *lac Nguièr* ab utroque *Senegalis* ostio meridiem versus in tabulis exhibeatur. Quid? Quod in hodiernum *lac Nguièr* Hanno omnino non potuit intrare, potuit tantum praetervehi? Dein si cum Entzio *Gambiam* alterum peripli flumen esse arbitraremur, nonne permirum foret, Carthaginiensium ducem clarissimi illius promunturii cui hodie nomen inditur *Cap Verde*, ne uno quidem verbo mentionem fecisse? Sed quid plura? Quin de *Rio de Oro* sinu desperandum sit, nemini iam erit dubium.

Non minus facili negotio transigitur de ea sententia, cui plurimi se addixerunt viri docti[1]). Dicunt enim vulgo Hannonis navigationem inde a Lixo flumine meridiem versus pertinuisse usque ad promunturium *album*: ibi demum oram versus ortum flecti magnumque effici sinum, nunc *baie d'Arguin* vocatum, in cuius parte interiore terrae obiacere parvam insulam, nunc *île d'Arguin* appellatam[2]): hanc esse Hannonis Cernen. Priorem vero

---

1) cf. Mueller p. 6; ante eum idem iudicium tulerant Ramusio, *il viaggio di G. Leone e le navigazioni di Alv. da Ca de Mosto, di P. di Cintra, di Annone* e. q. s. p. 207, d'Anvillius *géogr. anc. abr.* III p. 118, Ukertus (I p. 65), Rennellius (p. 719), Moversius (II 2 p. 529); postea idem protulerunt Robiou (l. l. p. 201) et Trèvius (p. 26).

2) Insulam multis describunt Belcher *journ. of the r. g. soc.* II 301 sq., Aubeus *rev. marit. et colon.* XXXIII p. 470, Bonellius (l. l. p. 346 sq.); eius situs et adspectus adumbratur tabulis compluribus, quas insertas invenis alteri eius operis volumini quod inscribitur *histoire générale des voyages* p. 424. 428. De tota eius vicinia inspicias velim novissimam mappam editam consilio et auctoritate eorum, qui Francogallorum rebus navalibus praesunt

fluvium eundem esse opinantur atque hodiernum *Rio de St. Antonio* in *Arguin* sinum egredientem, alterum alii referunt ad *Senegalem*, alii ad *Gambiam*, cum lacum Hannoneum Mueller componere audeat cum Ptolemaei *λίμνῃ Κλονίᾳ* (IV 6, 8). Ne tempus teram, pauca tantum, quae rem decernant, in medio ponam. Primum eo advertendus animus, quod mirum quantum *Arguin* insula distat ab eis, quas antehac Carthaginienses condiderant, coloniis, ita ut sanae mentis imperator statim intellegere debuerit, nullam esse spem, fore, ut urbs huic orae adiacens ab accolarum impetu defendi et diuturna manere possit[1]. Dein *Arguin* ipsa infelicissima arenarum taenia est[2] neque id certum, num Hannonis aetate iam exstiterit[3]. Nec non inde mihi inicitur scrupulus et quaedam dubitatio, quod *Rio de St. Antonio* ex recentioribus mappis et itinerariis plane evanuit: 'j'ai longé', inquit Mer p. 143, 'la côte de très près, du cap Hiwick au cap Mirick, sans avoir vu aucune trace de cours d'eau'. Iam vero quod attinet ad lacum Hannonis alterumque fluvium, sufficit in memoriam revocasse lectori, quae supra contra Vivienum de St. Martin aliosque monui: eaedem enim difficultates Muellero eiusque asseclis obstant, nisi quod multo magis etiam desperata res fit atque intricata, si Hannonem penetrasse censemus ad *Κλονίαν λίμνην*, quae ex Ptolemaei rationibus 4 milia stadiorum a maris litore abest. Denique haud scio, an ioco utatur Mueller, qui tres Hannonis insulas repperisse sibi visus est in eis, quae *Arguin* sinum implent, etsi teste Merio (l. l. p. 142) 'ce n'est pas seulement trois îles que contient la baie de St. Jean, mais bien onze, toutes très basses et situées à une telle distance de l'accore du banc, qu'il est impossible de les apercevoir'. Facete enim ita loquitur: 'Obstare videtur, quod Hanno per magnum fluvium navigans ad eas pervenit. Verum cum multae in hoc sinu sint arenarum taeniae, quae aliis temporibus aliae esse solent ad ostia praesertim magnorum fluviorum: probabiliter statuere licet, arenas olim partem sinus paullo infra

---

a Monteilo: *carte des établ. franç. du Sénégal* 1886. (cf. Francogallorum chartam maritimam N. 297 *du cap Blanc au cap. Vert*).

1) cf. Goetz p. 274.

2) cf. Mer p. 36. 'cette île n'est en réalité qu'un banc de sable, placé au milieu d'autres bancs de même nature.'

3) cf. Fitzau p. 240.

Cernen multo magis quam nunc obstruxisse, ita ut inter arenas et continentem nonnisi modicum spatium relinqueretur, quod Hanno pro Chremetis ostio habere poterat.' Credat Iudaeus Apella! Gravissimum reservavi ad extremum: nimirum iterum necessarium fit, tradita verba mutemus in **δώδεκα ἡμέρας**: qui numerus quamquam convenit ei navigationi, quae a ***Draa*** fluvio ad ***album*** promunturium est, tamen reiciendus est, si quae sunt in codice apte possunt explicari.

Eisdem argumentis refellitur ea opinio, quam novissime protulit Mer, qui assentientem habet Scharnickium (p. 400 sqq.). Affirmavit ille, qua est arrogantia, confidenter, Hannonis Cernen esse hodiernam *Gorée* insulam[1]): 'On peut s'assurer', ait p. 33, 'par l'inspection des cartes marines qu'il n'existe pas dans toute la longueur de l'Afrique depuis le détroit de Gibraltar jusqu'au cap de Bonne-Espérance une seule autre localité à laquelle puisse s'appliquer franchement la relation d'Hannon, tandisque tout est d'une exactitude rigoureuse, mathématique si l'on voit Cerné dans l'île de Gorée.' Non minus fidenti animo dein asseverat, Hannonis flumina quaerenda esse in hodierno *Gambia* et *Rio Geba*, quamquam omnia tam futtilia sunt, ut minutias afferre superfluum esse censeam: ut toti eius explicationi fundamentum eripiatur, simul ut exemplum eius audaciae proponatur, satis erit monuisse, eo quidem iudice Lixum esse hodiernum *Senegalem*: argutatur enim ita, ut contendat, Hannonem illis verbis **ἐκεῖθεν δ' ἀναχθέντες κτλ.** non potuisse significare tantam, i. e. tam parvam distantiam, quanta *Nun* et *Draa* fluvii dirimantur: 'Hannon indique clairement un long parcours, une longue traite; il est évident qu'il ne se serait pas exprimé ainsi, s'il n'avait eu à faire qu'un petit nombre de lieues pour y arriver.' Accidit nimirum Merio quod in multis animadvertere licet geographis, ut ipsi aliquid pro lubitu suo confingant idque deinde pravis interpretationibus, non recte intellectis testimoniis, male conclusis rationibus defendere studeant.

Superest, ut duobus argumentis omnes quas modo enarravi sententias stare nequire evincam. Quid enim? Nonne plurimum habet offensionis, quod contra diuturnam suam consuetudinem hoc tantum loco Hanno adnotare omisit, se in itinere maritimo longius

---

1) quod suspicatus antea iam erat Ritter, *Geschichte der Erdkunde und Entdeckungen* ed. Daniel² 1880 p. 22.

esse provectum, nedum litteris mandaverit, quot dierum confecisset navigationem, priusquam ad singula illa flumina perveniret? Dein nonne maximam movet admirationem, quod Hanno ad alterum usque fluvium crocodilorum hippopotamorumque plenum progressus subito subductis velis retro flectit iter? Iustam huius reditus causam nemodum attulit, quamquam alii aliam finxerunt: aiunt enim vulgo, Hannonem relicta maiore navium parte ad Cernen insulam paucis praevectum esse, ut orae naturam perscrutaretur: 'c'était évidemment', inquit Vivienus de St. Martin (l. l. p. 385), 'pour prendre une idée générale de cette région nouvelle et de ces nouveaux peuples qu'il avait hasardé cette pointe dans l'intérieur'[1]). At omnino a Cerne insula non iam emporiorum condendorum causa iter ab Hannone continuabatur; continuabatur ideo solum, ut in futurum usum orae situs exploraretur! Itaque cur bis idem negotium Hanno suscepit? Quodsi vero Entzius (l. l. p. 38) ad interpolatorem provocavit, aperte hariolatur: videlicet nescio quem virum doctum Scylacis narratione motum esse sibi persuasit ut totas illas tres paragraphos quae de Hannonis reditu sunt in genuinum intruderet periplum: Scylax ultra Cernen navigari posse negat: itaque interpolatorem illum Hannonem ad Cernen reverti coactum induxisse. Singularem hominem et eximia sagacitate praeditum! Helleboro ei profecto opus fuisset, si tantopere ineptisset! Mirus igitur adeoque absurdus Hannonis reditus omnibus videatur necesse est[2]).

Iam vero tempus est missis recentioris aetatis auctoribus adeamus veteres! Circumspicientes autem quaenam hi de Cerne insula tradiderint, stupor incedit atque admiratio, si summam deprendimus inconstantiam iudicii et fluctuationem. Ut enim ea ex re ordiar, quae maxime videtur notabilis, a mythographis Graecis contrariis plane apponitur locis: nam cum apud Palaephatum (incred. XXXII 5, 10) et Diodorum (III 54) in occiduo mundi termino sita feratur, in orientales terrae fines transmigrat apud Lycophronem, qui (Alex. 18):

---

1) cf. p. 386: 'Revenu à Cerné où sans doute s'était arrêté le gros de la flotte, l'amiral reprend de nouveau sa route vers le sud, pour continuer son aventureuse exploration.' cf. Goebel p. 57.

2) Palam hoc professus est Major, *Prince Henry the Navigator* p. 92 ('without any assignable motive') apud Bunburyum I p. 320 adn 8.

Ἕως μὲν αἰπὺν ἄρτι Φηγίου πάγον
κραιπνοῖς ὑπερποτᾶτο Πηγάσου πτεροῖς
Τιθωνὸν ἐν κοίταισι ταῖς Κέρνης πέλας
λιποῦσα, τὸν σὸν ἀμφιμήτριον κάσιν.

Quam sententiam sequitur etiam Nonnus (cf. Dion. XVI 45; XXXVI 6; XXXVIII 287). Qui factum sit, ut insula ex illo loco transferretur ad hunc, facile cognoscitur. Opponebatur Cerne Aethiopibus, quod nomen prisca aetate late patuit. Etenim a Solis regia usque ad remotissimum occasum meridionales regiones tenebant: *Αἰθίοπας δεῖ δέχεσθαι τοὺς παρ' ὅλην διατείνοντας τὴν ὠκεανῖτιν ἀφ' ἡλίου ἀνιόντος μέχρι ἡλίου δυομένου* (cf. Strabo I 2, 28 p. 35 C. cf. I 2, 17 p. 32 C). Cum igitur accuratiora non praesto essent, cuiusque arbitrio permissum erat, utrum in extremo oriente Cernen quaerere mallet, an in occidente, an in meridie: hic enim ponitur a Dionysio Periegeta, ad cuius versus 219 sqq. haec adnotavit scholiastes: *ἡ θέσις αὐτῆς* (sc. *τῆς Κέρνης*) *διαφωνεῖται. Οἱ μὲν γὰρ ἀνατολικὴν αὐτὴν ὑποτίθενται, ὡς καὶ ὁ Λυκόφρων ἐμφαίνει, οἱ δὲ δυτικήν· Διονύσιος δὲ καὶ ἄλλοι νοτίαν.* Ex ipsa autem huius rei natura sequebatur, ut omnibus de Cerne insula fabellis fidem doctiores geographi denegarent veluti Strabo I p. 47 Eratostheni credulitatem obiurgat hisce: *Πεπίστευκε καὶ περὶ τῶν ἔξω στηλῶν Ἡρακλείων πολλοῖς μυθώδεσιν, Κέρνην τε νῆσον καὶ ἄλλους τόπους ὀνομάζων τοὺς μηδαμοῦ νυνὶ δεικνυμένους.*

Duo tantum extant, si Hannonem et Scylacem excipias, testimonia non spernenda: alterum apud Plinium, ubi (VI 35) scriptum est: 'Polybius in extrema Mauretania contra montem Atlantem a terra stadia octo abesse prodit Cernen, Nepos Cornelius ex adverso maxime Carthaginis a continente M. P., non ampliorem circuitu duobus milibus': alterum apud Ptolemaeum, qui (IV 6, 33) Cernen collocat sub 25° 40′, Atlantem maiorem (IV 1, 2) sub 26° 30′: utrumque eodem referendum esse patet. Iam vero Polybii Atlas secundum eius mensuras, quas Plinius servavit V 1, 9, certissime respondet hodierni *Anti-atlantis* iugis; Ptolemaei ratio obiter intuenti alia esse videtur: nam eius Atlantem maiorem componendum esse cum promunturio *Gir*, documento sunt, quae illum excipiunt flumina; attamen a Solis promunturio ad Atlantem computat 3000 fere stadia, quae distantia in Polybii tabulis inter Soloentem et Atlantem intercedit: unde planum fit, Ptolemaeum

quoque significare voluisse eos montes, qui prope promunturium *Draa* mare attingunt. Quod non nimis recedere a veritate videbimus.

Ad certum vero finem pervenimus Scylacis et Hannonis auxilio, qui non rettulerunt, quae vetustis fabulis narrata, etiam non intellecta pro veris habebant, sed quae vel ipsi viderant vel qui a Scylace exscriptus est auctor. Huius computum primum inspiciamus: instituitur § 112: *Παράπλους ἀπὸ Ἡρακλείων στηλῶν ἐπὶ Ἑρμαίαν ἄκραν ἡμερῶν δύο. Ἀπὸ δὲ Ἑρμαίας ἄκρας εἰς Σολόεντα ἄκραν παράπλους ἡμερῶν τριῶν. Ἀπὸ δὲ Σολόεντος εἰς Κέρνην παράπλους ἡμερῶν ἑπτά. Σύμπας δὲ ὁ παράπλους οὗτός ἐστιν ἀπὸ Ηρακλείων στηλῶν εἰς Κέρνην νῆσον ἡμερῶν δώδεκα.* Ex duobus eis quae praemittuntur mensuris colligitur, uniuscuiusque diei navigationi non ex sollemni more substituenda esse quinquagena stadia, sed sescena: quod si tenemus, deducimur iuxta oram navigantes usque ad hodiernum promunturium *Juby*, ita ut illud *κατὰ δὲ ταῦτα νῆσός ἐστιν, ᾗ ὄνομα Κέρνη* aut latiore sensu accipiendum esse appareat aut cum Goebelio (l. l. p. 12) in *μετὰ δὲ ταῦτα* mutandum, id quod satius esse duco.

Iam convertamus nos ad Hannonem! Qui a *Draa* fluvio oram legit duos dies: habemus vero 1000 stadia ad *Cap Juby*: hinc orientem solem petit per unius diei spatium ac reapse ab illo promunturio litus quamvis levi curvamine ad solis ortum tendit. Efficitur ergo, Cernen sitam fuisse mediam inter *Cap Juby* et *Cap Bojador*. Dein si ex eis quae supra fusius de singulis itineris Hannonei partibus disputavimus, summam subducimus, consummantur 16 navigationis dies; qua cum re bene congruit, quod Scylax § 111 testatur: *Ἀπὸ Καρχηδόνος ταύτῃ ἐστὶν ἐφ' Ἡρακλείους στήλας τοῦ καλλίστου πλοῦ παράπλους ἡμερῶν ἑπτὰ καὶ νυκτῶν ἑπτά.* Audi, si placet, cur hoc testimonio utar: laudavi supra haec Hannonis verba, admodum sane mirabilia: *Ἐτεκμαιρόμεθα δ' αὐτὴν* (sc. *Κέρνην*) *ἐκ τοῦ περίπλου κατ' εὐθὺ κεῖσθαι Καρχηδόνος· ἐῴκει γὰρ ὁ πλοῦς ἔκ τε Καρχηδόνος ἐπὶ Στήλας κἀκεῖθεν ἐπὶ Κέρνην.* Obscurum hoc enuntiatum quomodo est intellegendum? Non defuerunt, qui inde concluderent, Cernen sub eodem meridiano sitam fuisse atque Carthaginem, qua de re infra pluribus agam: nunc etiam me non monente hanc argumentationem per se ipsam corruere neminem latet. Hannonis mens alia fuit: necessario, opinor, ita eius verba accipienda sunt, ut significent,

idem fere intervallum, eodemque etiam confectum tempore esse a Columnis et ad Cernen insulam et Carthaginem usque: nam quid illud esse dicamus, quod inveniuntur, qui ad eam progrediantur audaciam, ut Hannonem non spatiorum intervalla, sed nonnisi tempus in utraque via percurrenda consumptum respexisse existiment? tales ineptias Carthaginiensium nauarcho affingi, Mueller merito vetuit (p. 8)[1]. Itaque quamquam nolo cogitari de triangulo quod vocant *ἰσοσκελεῖ*, in quo lineae a Columnis in Cernen itemque Carthaginem ductae eiusdem sint longitudinis, ita ut Cerne et Carthago eodem modo ex adverso iaceant, quo baseos extremitates in triangulo *ἰσοσκελεῖ* sibi oppositae, tamen sedulo cavendum, ne cum plerisque interpretibus maximam inter utramque distantiam concedamus differentiam. Immo si rem diligenter animis pensitabimus, fieri non poterit quin eo perveniamus, ut eam quae Columnas cum Carthagine iungat lineam paullo maiorem esse arbitremur altera: namque cum Carthagine profectus ad Columnas vela dirigeret Hanno, iter emetiebatur optime sibi notum brevissimaque via finem propositum assequi studebat; contra superatis Columnis ora semper ei legenda erat incognita, ut loca idonea, in quibus coloniae conderentur, specularetur. Si vero circulo ad fretum Herculeum imposito orbem circumscripserimus, cuius radius sit linea inde emissa Carthaginem, in Libyae ora occidua incidemus in illud promunturium, cui in mappis nomen adscribitur *Cap Bojador*. Hinc aliquanto septentrionem versus pedem referentes, iterum deducimur in eum orae tractum, qui inter promunturia *Juby* et *Bojador* patet. Vide autem, quam apte supra Scylacis

---

1) Nihilosecius iterum hisce nugis indulsit Mer p. 33. 39: ut eius levitas in clara luce ponatur, audias quaeso, quae dicit p. 33: 'La distance qui sépare l'embouchure du Sénégal de l'île de Gorée n'est que de quarante lieues marines, et l'on pourrait trouver qu'il ne fallait pas trois jours pour faire une pareille traversée. Je répondrai d'abord que c'est vers la fin du mois de juin que l'escadre d'Hannon a dû se trouver dans ces parages et qu'à cette époque il y a souvent des calmes. En outre il s'y produit des brumes journalières qui ne se dissipent que vers le milieu de la journée. L'escadre ne pouvait donc faire route de grand matin. De plus il a fallu un temps considérable pour franchir la barre et faire sortir successivement du fleuve une flotte aussi nombreuse. Il en résulte que la première journée de navigation ne conduisait pas la flotte bien loin au sud de l'embouchure du fleuve, et, par prudence, l'amiral devait faire jeter l'ancre avant le coucher du soleil' e. q. s. Sapienti sat!

computum attulerim: nam Hannonis 16 itineris dies optime congruere cum huius septem diebus noctibusque septem, cum praesertim de prosperrima navigatione apud eum sermo sit, nemo, puto, infitias ibit.

Quae hucusque exposuimus, eo redeunt, ut inter promunturia *Juby* et *Bojador* Cerne quaerenda sit: apparuit, certa rei indicia nobis suppetere ac totam quaestionem non tam impeditam esse, quam recentiorum quorundam opinionibus obstructam.

At interrogantem audimus, cur tandem nemo adhuc vir d. in hac opinione acquieverit ibique collocaverit Cernen insulam. Cui non haereo, quid respondeam: causa nimirum ea erat, quod in hac regione neque sinus inveniebatur neque insula, apta, quibuscum Hannonis loca componerentur[1]). Sed meliore nunc utimur condicione, adiuti cum Habenichtii praeclara tabula, quae anno 1887 Gothae prodiit apud Justum Perthes, tum duabus singularibus commentationibus, quarum utrique mappae adnectuntur: altera conscripta ab Josepho Lee inserta legitur anglicis ephemeridibus, quae vocantur *the journal of the Manchester geographical society* (II 1886 p. 145 sq. 264), altera composita a duobus Francogallis (Lahureo et Fourcaultio) Gallicis annalibus qui inscribuntur *mouvement géographique* (1889. 9. 22 sept.). Quibus in tabulis si illam regionem attentis oculis contemplamur, optio nobis non datur: unus tantum aspicitur si non proprie dictus sinus, attamen maior maris hiatus, qui efficitur amplo fluminis ostio: egreditur enim eo loco qui hodie *Sakhiet el Hamra* audit. fluvius[2]): 'au sud du cap Juby' aiunt Fourcaultius et Lahureus (p. 73), 'et à 60 milles environ se trouve sur la côte libre du Tekna une seule embouchure en forme de très large delta'. Quem hiatum — plus sex m. p. in latitudinem patentem — cum Hanno ex alto animadvertisset[3]), navigia litori appulit, ne urbis ibi condendae opportunitatem praetermitteret. Nec haec spes eum fefellit: rep-

---

1) cf. Mer p. 35: 'il n'y a certainement ni fleuve Lixus, ni golfe, ni île de Cerné.'

2) cf. quae de hoc flumine exponunt Josephus Lee (p. 145 sqq. 264 sqq.) atque Lahureus et Fourcaultius (p. 73). Praeterea qui multa de eo audacissimis itineribus exploravit, nominandus est Camillus Douls *bull. d. l. soc. d. géogr. de Paris 1888 p. 448 sqq.*; cf. *bull. d. l. soc. normande de géogr. 1888 p. 1 sqq.*

3) cf. *Afr. Pil.* p. 69. Lee p. 151.

perit enim Cernen insulam, quae omnem eius exspectationem non solum explevit, sed etiam superavit: intellegenda haud dubie est una alterave maior ex ingenti earum numero, quae ipsius fluminis ori protensae opportunissimum nautis praebent receptaculum[1]). Cum vero in hanc insulam egressus quae necessaria erant aedificia exstruxisset, iam in ipsum illum fluvium invectus Hanno eius cursum aliquantum temporis sequebatur: aliam eius verba non recipiunt interpretationem. At, dixerit fortasse quispiam, quo iure quave probabilitate tu illud flumen navium patiens facis? Quasi non sicco pede eius alveus hodie possit transiri[2])! Cui his occurro argumentis. Recte in universum docuit Tissotius (l. l. p. 95), hydrographicam, ut ita dicam, condicionem *Saharae* deserti inde a primis post Chr. n. saeculis in contrarium vertisse[3]). Idem observavit pluriens, qui hanc ipsam regionem, in qua nunc versamur, pervagatus est Doulsius: 'ce sont des lits', inquit, 'd'anciens fleuves, détruits par des soulèvements plutoniques et qui ont dû à une certaine époque fertiliser ces contrées de désolation. Il a fallu de grands bouleversements pour dessécher ces fleuves. Alors des peuples sédentaires vivaient sur les bords, et peut-être à l'endroit même où le pâtre nomade vient garder ses troupeaux des villages s'élévaient'[4]). Ac cum ceteroquin omnia viduata et desolata iaceant, ipse *Sakhiet el Hamra* aliqua saltem ex parte excipiendus est: nam ne nunc quidem aqua caret: 'about twelve miles from the sea the country is 250 feet above the sea level and the river 150 ft. below the banks. The channel is about three miles wide and down the middle flows a stream of fresh water about a mile broad.' Simul vero inversum contristat aquarius annum, saepius tumidis etiam volvitur undis: 'the Moors say that during the rainy season in some years the depth of

---

1) cf. *Afr. Pil.* p. 69. Fitzau p. 234.

2) cf. Douls (p. 448 sq.), Quedenfeldt (p. 408), Rohlfs (p. 423).

3) Similes mutationes passi sunt etiam ii fluvii, qui a magno deserto septentrionem versus exeunt: 'M. Jackson qui a habité trois ans Agadir pense que le Sous était autrefois navigable jusqu'à Taroudant, ville principale du Sous, située à 88 km. de la mer; car il a vu dans les murailles de cette ville de gros anneaux en fer semblables à ceux que l'on voit aux quais des villes maritimes de l'Europe et qui servent à amarrer les navires' (cf. *annal. hydrogr.* 1849 p. 29).

4) cf. *C. R. d. l. soc. d. géogr. de Paris* 1887 p. 443. *Bull. d. l. soc. d. géogr. de Paris* 1888 p. 456.

water in the river is 100 ft. and an examination of the banks confirmed this statement'[1]). Quae cum ita sint, quid est causae, cur offendamur ea in re, quod omnes recentissimae aetatis viatores — nam ante paucos demum annos exstiterunt, qui hanc vallem peragrarent, postquam diu incredibilis fuerat geographorum de eius regione ignorantia, ita ut ipsum fluvium in *Ued Draa* egredientem facerent — summis laudibus evehunt beatissimam *Sakhiet el Hamrae* viciniam? 'The sides of the channel or valley were covered with trees and brushwood, among which we found the date palm. The land in the vicinity of the river only waits for cultivation to render it fertile and productive'[2]). Itaque circumspectis omnibus his rebus nil impedit, quominus Carthaginienses in *Sakhiet el Hamram* invectos esse arbitremur.

Postquam vero non longum tempus adverso flumine remigaverunt, meridiem versus circumflexerunt in alterum fluvium, qui a sinistra parte in *Sakhiet el Hamram* influit: nomen hodie ei inditur *el-Dela*. Manifesto ad eum respiciunt, quae Doulsius narrat (p. 449): 'sur la rive gauche non loin de l'embouchure de la rivière je croisai deux thalwegs conduisant les pluies d'hiver dans le lit du Saguiat. Ces thalwegs se frayent un passage à travers les dunes.'

Unde brevi facilique navigatione confecta Hanno in lacum pervenit, tres insulas Cerne maiores continentem. Si quis vero obiciat, lacum in hac terra nullum aspici, eius verbis, ut ingenue fatear, non multum tribuerim. Verissimum sane est, non ipsum Hannonis lacum hodie ibi inveniri: sed invenitur, qui medius inter arenarum incultam vastitatem intercedit, amoenus aquisque abundans locus, qui longitudine 500 stadia excedit, ita ut unius diei iter optime eo exaequetur. Audit nunc *Gerar Isig* et praestat magnitudine reliquis depressis regionibus quae *schotts* vel *sbchas* appellatae passim *Saharae* deserta interrumpunt, de quibus Doulsius (l. l. p. 447): 'Ces dépressions sont très fréquentes dans le Sahara occidental. Elles servent de réservoir aux pluies d'hiver: ce sont ordinairement les seules parties fertiles des steppes'. Cum vero res sit summi momenti, ex uberrima descriptione quam Franciscus

---

1) cf. Lee p. 152.

2) cf. Lee p. 152. Rohlfs p. 424. Douls p. 448: 'ses bords couverts d'une végétation arborescente' e. q. s. Lahure p. 73: 'pendant les dix mois de saison sèche le delta au S. est couvert d'un épais fourré de végétations' e. q. s. Alvarez Perez, *en el Segtia el Hamra: rev. d. geogr. com.* II 1886.

Coello publicavit in diurnis Hispanis quae vocantur *revista de geografia comercial* (II. p. 62 sqq.) quae memoratu dignissima videntur excerpta proponam: 'Tambien es muy dudoso el trazado del Jot (línea ó camino) que con su apéndice Guerar-Izig parecen más bien, según los ha dibujado Mr. Masqueray en su mapa, una sebja ó laguna prolongada que un afluente aunque el primero parece corresponder con el Jat-Semseru, cruzado por Bu-el-Moghdad. En muchos de estos barrancos corre el agua por largo tiempo: algunos se desbordan é inundan las cercanías, por ser bajos sus bordes y su álveo poco profundo: en otros este es muy ancho y se encuentran en él cantos rodados y redondos, señal evidente de la frecuencia é importancia de las corrientes: en casi todos el agua es constante, á cierta profundidad, y hay allí pozos donde casi se coge con la mano, encontrándose agua en dos ó tres puntos de una misma jornada'. Sed quid haesitamus? Evolvatis quaeso mecum, quod Fourcaultius et Lahureus (p. 73/74) inscii itineris Hannonei de *Gerar Isig* commendarunt: 'on pourrait tout au plus prévoir un moyen de restituer aux chotts l'eau qui en faisait peut-être jadis il y a sept à huit siècles des lacs plus ou moins étendus où l'on pouvait naviguer.' Nonne egregie hinc firmatur, Hannonis lacum non diversum esse ab hodierno *Gerar Isig*? Forsan autem inde id quoque non iam prorsus insanum videbitur, quod alii Francogalli[1]) exsiccatis eis paludibus, quae Atlantis radicibus adiacent, aquam reddi iusserunt. Aptissimum vero, quod de *Gerar Isig* statuimus documentum est, quo iure multi geographi iudicarint, terrarum mari Mediterraneo circumsitarum caelum inde a Graecorum Romanorumque temporibus magnopere mutatum esse, cuius sententiae acerrimus semper defensor exstitit Theobaldus Fischer[2]). Cui qui oblocutus est de septentrionalibus *Algeriae* lacubus, Josephus Partsch[3]), non habebit, spero, quod nobis opponat.

---

1) cf. Roudaire, *La mission des Chotts du Sahara: bull. d. l. soc. d. géogr. de Paris* 1875 p. 113.

2) *Über Klimaänderungen an den Äquatorialgrenzen der subtropischen Regenzone: Ausl.* 1877 p. 891; *Beiträge zur phys. Geographie der Mittelmeerländer: Pet. ann. suppl.* LVIII 1879 p. 41 sqq.; *zur Frage der Klimaänderungen im südl. Mittelmeergebiet: Pet. ann.* 1883 p. 1 sq. cf. Brückner *geogr. Abhandlungen* ed. Penck IV 2, 1890 p. 10 sqq.

3) *Über den Nachweis einer Klimaänderung der Mittelmeerländer: Verhandlungen des VIII. deutschen Geographentages* Berlin 1889 p. 123.

Sed ut redeamus ad Hannonem, singula quoque quae de lacu illo permagno memoriae prodidit, bene congruunt cum hodierna rerum natura. De longitudine supra dixi; montes autem adhuc proxime eius finem in auras alte assurgunt, altissime *el Debaihat* et *el Getifa*[1]). Iam vero cum ab accolis saxorum coniectu ne in terram exiret impeditus naves vertisset Hanno, laevam lacus oram legens incidit in alterius fluvii ostium pleni hippopotamorum et crocodilorum: eructabat enim in mediam ferme paludem hodiernus *el Chott*. Quod flumen postquam per aliquot dies secutus est Carthaginiensium dux, cum intellegeret, regionem coloniis condendis minime aptam esse, vel cum *el Chott* tenui fluere aqua inciperet, longius non progrediendum esse ratus infectis rebus eadem via per eosdem fluvios eundemque lacum ad Cernen insulam, unde profectus erat, revertitur. Iam manifestam tenemus causam, cur ad Cernen renavigare debuerint Carthaginienses, nec minus apertum est, cur Hanno se iter maritimum persecutum esse omiserit commemorare!

Oportet, priusquam pergamus, paucis perstringamus, num minutiae quaedam in Hannonis Scylacisque descriptionibus apte explicari queant. Ac primum quidem supra exposui, elephantos quondam ultra desertum septentrionalis Libyae silvas habitasse: idem cadit in hippopotamos, sicuti demonstrant et veterum testimonia (cf. Str. XVII 3, 4 p. 827. Ael. de n. a. VII 2. Plin. VI 194. Paus. I 33, 5. Vitr. VIII 26. Solin. 155 M. Amm. Marc. XXII 15, 8) et recens reperti in infima Mauretania lapides, in quibus hippopotamorum imagines incisae sunt: testem affero Doulsium, qui 'on trouve des pétroglyphes', ait, 'sur lesquels on voit gravées des figures représentant des éléphants, des hippopotames, des girafes'[2]). Crocodilos autem ne nunc quidem e *Saharae* rivulis evanuisse Ervinus de Bary rettulit in *Petermanni annalibus* (1877 p. 118[3])). Dein si quis meminerit, quae de *Sakhiet el Hamrae* regionis fertilitate monui, fidem sua sponte habebit Scylaci, qui (112) Cernaeos

1) cf. Douls l. l. p. 445: 'il existe une chaine de montagnes perpendiculaire à la côte et parallèle au cours du Sagiet el Amra.'

2) cf. *bull. d. l. soc. d. géogr. de Paris* 1888 p. 456; quousque hodie hippopotami septentrionem versus pertineant, docent Wallace (l. l. II p. 243) et Marshall (cf. Berghaus, *phys. Handatlas* VI. II D); de crocodilis cf. Wallace (II 448) et Marshall (VI. V A.)

3) cf. Duveyrier, *les Touaregs du nord* p. 233.

vinum e vitibus multum conficere narrat; nec tamen recentiorum testimoniis destituti sumus: etenim Rohlfsius Paneti, Francogalli viatoris itinerarium[1]) in suum usum convertens docuit[2]), inde a promunturio *Bojador* incipere agrum bene cultum vel idoneum, qui colatur: idem inter multa alia, quae haec terra procreet, enumerat etiam (p. 424) uvas easque incredibilis fere magnitudinis, ita ut intellegatur, qui *Λιξῖται* vivere potuerint *ἀπὸ ἀμπέλων ἀγρίων* (cf. Paus. I 33, 5)[3]).

Effecisse mihi videor quod volebam, nempe ut ostenderem, totam Hannonis relationem optime hodierno regionis statui incolarumque condicioni convenire, ita ut audacissimo illi Carthaginiensi occiduam Libyae oram multo accuratius notam fuisse quamvis inviti concedere debeamus quam nobis fuit usque ad mediam ferme huius saeculi aetatem. Simul vero ante oculos positum est, quanam probabilitatis specie a doctis quibusdam viris dubitatum sit, utrum Hanno revera hunc adierit orae tractum, an fictus tantum commenticiusque omnis periplus sit[4]): talia fingi sine minutiosa terrae notitia omnino nequeunt.

Ad ultimam igitur hanc Hannonis coloniam usque, quae quam aptissimo loco ad commercia cum interioris Libyae gentibus miscenda condita fuerit, documento sunt quae apud Scylacem (§ 112) leguntur, nisi omnia me fallunt, bene itineris Hannonei ratio potuit explicari, cum multo afflictiore condicione sint quae iam sequuntur; causas, cur hic in praecipiti versemur has afferam. Primum Hanno ipse (id quod maxime ad extremam peripli partem referri volo) non nisi perfunctorie regiones describit ac saepiens etiam distantiarum notas addere neglexit (nisi forte librariorum culpa exciderunt, qua de re infra agam). Accedit aliud non minus grave: videlicet post Hannonem neminem vetustis temporibus longe ultra promunturium *Bojador* meridiem versus progressum esse infra

---

1) cf. *Pet. ann.* 1859 p. 101 sq.

2) cf. *Pet. ann.* 1877 p. 422.

3) cf. Barth, *Reisen in Nord- u. Zentralafrika* I p. 210. Nachtigall l. l. I 307. Rohlfs, *Quer durch Afrika* I 110. Bary *Berl. Zeitschr. f. Erdkunde* 1878 p. 351.

4) Agressus est Hannonem imprimis Tauxier, *le périple d'Hannon et la découverte du Sénégal: le Globe* 1867 p. 333 sqq.; *la Libye anc. des col. d'Herc. au fleuve Sala: ann. d. voy.* 1867 p. 5 sqq.; cf. *C. R. acad. des inscr.* IV série, II 1874 p. 325—29. Impugnavit Tauxierum Hartmannus (l. l. p. 65); cf. *Pet. ann.* 1868 p. 186.

facile tibi persuadebo; habemus igitur praeter Carthaginiensium imperatorem testem ocularium nullum: quae alii tradiderunt, a vero tam longe recedunt, ut *αὐτοπτικὴ πίστις* in his admitti nequeat. Tertio denique loco monendum, totam hanc oram posteriore aetate magnas passam esse mutationes[1]). Sed quamvis impeditior sit et ad explicandum difficilior altera Hannonei itineris pars, nihilosecius spero, me minutiis etiam diligentissime observatis et rationibus recte conclusis totam quaestionem magna cum probabilitate soluturum esse, praesertim cum ex certis initium capiat incertorum investigatio. Quamquam id lubenter Meltzero (p. 229) concedo, non abs re fore, si vir doctus quidam et philologiae et geographiae peritus meridionales has regiones adeat.

Sed iam finem faciamus praefandi et in medias res transeamus! Continuatur ita Hannonis periegesis: *Ἐκεῖθεν δὲ ἐπὶ μεσημβρίαν ἐπλεύσαμεν δώδεκα ἡμέρας, τὴν γῆν παραλεγόμενοι, ἣν πᾶσαν κατῴκουν Αἰθίοπες φεύγοντες ἡμᾶς καὶ οὐχ ὑπομένοντες· ἀσύνετα δ' ἐφθέγγοντο καὶ τοῖς μεθ' ἡμῶν Λιξίταις. Τῇ δ' οὖν τελευταίᾳ ἡμέρᾳ προσωρμίσθημεν ὄρεσι μεγάλοις δασέσιν. Ἦν δὲ τὰ τῶν δένδρων ξύλα εὐώδη τε καὶ ποικίλα. Περιπλεύσαντες δὲ ταῦτα ἡμέρας δύο ἐγινόμεθα ἐν θαλάττης χάσματι ἀμετρήτῳ, ἧς ἐπὶ θάτερα πρὸς τῇ γῇ πεδίον ἦν. Ὅθεν νυκτὸς ἀφεωρῶμεν πῦρ ἀναφερόμενον πανταχόθεν κατ' ἀποστάσεις, τὸ μὲν πλέον, τὸ δ' ἔλαττον. Ὑδρευσάμενοι δ' ἐκεῖθεν ἐπλέομεν εἰς τοὔμπροσθεν ἡμέρας πέντε παρὰ γῆν, ἄχρι ἤλθομεν εἰς μέγαν κόλπον, ὃν ἔφασαν οἱ ἑρμηνέες καλεῖσθαι Ἑσπέρου Κέρας. Ἐν δὲ τούτῳ νῆσος ἦν μεγάλη καὶ ἐν τῇ νήσῳ λίμνη θαλασσώδης, ἐν δὲ ταύτῃ νῆσος ἑτέρα, εἰς ἣν ἀποβάντες ἡμέρας μὲν οὐδὲν ἀφεωρῶμεν ὅτι μὴ ὕλην, νυκτὸς δὲ πυρά τε πολλὰ καιόμενα καὶ φωνὴν αὐλῶν ἠκούομεν κυμβάλων τε καὶ τυμπάνων πάταγον καὶ κραυγὴν μυρίαν. Φόβος οὖν ἔλαβεν ἡμᾶς καὶ οἱ μάντεις ἐκέλευον ἐκλείπειν τὴν νῆσον.*

Antequam quae mihi ipsi placeant, explanem, sub unum aspectum subiciam quas adhuc protulerunt vv. dd. sententias, sed ita, ut summas tantum attingam res. Plerique montes silvis virentes intellexerunt hodiernum *Cap Verde*, *ἀμέτρητον χάσμα θαλάττης* *Gambiae* fluminis ostium, Hesperium promunturium unam e sescentis *Bissagos* insulis, quae vocatur insula de

---

1) cf. Unger, *Die versunkene Insel Atlantis* 1860; Doelter, *Über die Cap Verden zum Rio Grande* 1884 p. 43 sqq.; Bauer ap. Doelt. p. 47 sq.

Orango[1]). Sunt tamen multa, quae haec omnia non patiantur pro veris haberi. Primum neque ab *Arguin* insula ad promunturium *Verde* distantia est duodecim dierum neque a *Gambiae* ostio quinque usque ad *Bissagos* archipelagum: utrumque falsissimum manifesto est[2]). Dein potuit sane quodammodo *Gambiae* caput *ἀμέτρητον χάσμα θαλάττης* dici: 'l'ouverture de son estuaire est de 27 milles marins ou 270 stades'[3]): attamen qui tandem contenderit quispiam, *ἐπὶ θάτερα πρὸς τῇ γῇ πεδίον εἶναι*, fateor me non assequi: nam quantum equidem scio, ab utraque uniuscuiusque fluvii ripa terra continens est. Accedit, quod magis etiam mirum videtur, quod Hanno *Orango* insulam *Ἑσπέρου κέρας* appellavisse dicitur! Quae hic illic interpretes, ut hanc tollerent difficultatem, periclitati sunt[4]), merae sunt nugae. Quid? Quod Hannonis insula in ipso Hesperi sinu sita erat, cum inter *Rio Gebae* os et *Orango* insulam essent amplius 600 stadia? Nolo dein tacere, quod Mer (p. 149) *Orango* insulam navibus accessum praebere pernegat: 'où prendre ici la baie où il a pénétré avec toute son escadre? où il était resté au mouillage au moins pendant une nuit?' Ultimo loco philologicam addiderim causam non exigui ponderis: scilicet omnes editores interpretesque[5]) nube exemplorum studuerunt planum facere, fluviorum ostia tamquam Oceani cornua nec non maris sinus tortuose in terram penetrantes *κέρατος* nomine significari: attamen frustra, puto, in hac opera desudaverunt ac vim attulerunt auctorum veterum locis. Quid enim? Unus Eustathius errorem eorum arguit et quid unice verum sit ostendit: dicit doctus ille archiepiscopus (p. 309, 29): *Κέρατα καὶ καμπὰς καὶ κλῶνας δηλοῖ τῶν ποταμῶν.* Quocum conferas quae a recentioribus afferuntur exempla: nuncupavit Thucydides (I 110) Mendesium Nili caput *τὸ Μενδήσιον κέρας*, Apollonius Rhodius (IV 282) Istri septem ora *κέρατα* appellat, Acheloi bracchia

---

1) cf. Ukert I 1 p. 65. 6. Mueller p. 9. 10. Robiou p. 206, id. ap. Merium p. 146 sqq. Vivien de St. Mārtin p. 386 sqq. Knoetel p. 28. Bunbury p. 325 sq. Goebel p. 54. Trève p. 43 sq.

2) cf. Mer p. 148.

3) cf. Vivien de St. Martin p. 388.

4) cf. Vivien de St. Martin p. 392.

5) cf. Humboldt, *krit. Unters.* I 308. Mueller p. 10. Entz p. 43. Mer. p. 46. Trève p. 38.

Strabo (X 2, 19 p. 458 C. cf. Eust. ad D. P. 431)[1]): vides neutiquam de simplici fluminis cuiusdam ostio illum terminum usurpari. Egregie vero illa Eustathii interpretatio firmatur inde, quod Strabo (VII 6, 2 p. 320 C) 'aurei cornus' figuram hisce depingit: *Κόλπος ἐοικὼς ἐλάφου κέρατι· εἰς γὰρ πλείστους σχίζεται κόλπους, ὡς ἂν κλάδους τινάς.* Num denique est, cur de frequentissimo illius voculae usu moneam? Nimirum saepissime exhibetur de montium verticibus, de promunturiis, quae longe prominent in oceanum. Communis autem omnium explicatio non solum vacillat, sed suapte natura prorsus concidit. Veniam igitur peto, si quae a vulgari illo computo hac tantum illave re discrepant singillatim refutare supersedeo[2]).

Neque vero minoribus vitiis laborant, quae longius ab eo recedentes Mannertus (I p. 66) et Bougainvillius (p. 17) suspicati sunt: Hannonis montes silvosos esse hodiernam *Sierra Leone* paeninsulam, Hesperium promunturium *Cap Palmas.* Nam distantiarum notas nil curasse videntur illi geographi, forsan eam secuti sententiam quam novissime professus est Berlioux, cuius reliquas ineptias apud ipsum velim perlegas, cum diceret (p. 23): 'Avant tout il faut traiter Hannon comme un chef de guerre avec lequel on ne discute pas comme avec un grammairien.'

Quid denique dicam de recentissimorum interpretum commentis? Entzius (p. 40 sqq.) Hannonis montes recognovit in *Sierra Leone* promunturio, ingentem maris hiatum in *Sherboro* sinu, insulam *Ἑσπέρου κέρατι* adiacentem apposuit fere hodierno *Cap Three Points;* Mer (p. 43 sqq.) cogitari iussit de promunturio *Palmas,* de *Guinea* sinu, de sinu *de Benin,* quem usque ad cognominis fluvii ostium Carthaginienses pernavigasse autumavit[3]). Quae omnia ita excogitata sunt, ut iusto proelio ea impugnare vix operae pretium sit. Atque Merio quidem ignosco, qui habet excusationem ignorantiae sermonis Graeci: videlicet Maltebrunio confisus est, qui Hannonis verba *ἐκεῖθεν* (sc. *ἀπὸ χάσματος ἀμετρήτου*) *ἐπλέομεν εἰς τοὔμπροσθεν ἡμέρας πέντε* ita vertit: 'ayant suivi pendant cinq jours les côtes de ce golfe' e. q. s. Entzio tamen, quippe qui

---

1) Similiter apud Latinos Nilus dicitur digestus in septem cornua (cf. Ov. Met. IX 774).

2) Quae longissime a vero aberrant opiniones consulto taceo: cf. Gosselin p. 93. 94. Lelewel p. 81 sq. Rennell p. 910 sq. Heeren II p. 715 sqq.

3) His in universum assentitur Scharnickius p. 398.

philologus sit, venia non datur. An potest ulla esse excusatio ita argutanti, ut insulam illam Hesperi cornui oppositam 5 vel 6 itineris dies ab eo distantem faciat?

Sed quid multa de recentiorum temporum interpretibus, qui vel ideo, quod a falso et ex mera coniectura posito principio egressi sunt, fieri non potuit, quin ad ea deferrentur, quae pro veris accipi nequeant? Tutius videtur, veteres adire auctores.

Proficiscendum vero semper est ab ipsius Hannonis mensuris. Quem inde a Cerne insula desertum litus per duodecim dies legere vidimus. Itaque si a *Sakhiet el Hamrae* ostio orae longitudinem in tabulis emetimur, stadia sunt amplius quinque milia quingenta usque ad promunturium *album*, quod vocatur, ubi ora longa hucusque et recta linea porrecta orientem versus mirum quantum circumflectit: huc igitur nos Hannonis mensura deduci luce clarius est. Noli enim oblivisci, inter *Juby* et *Blanco* promunturia caenum algamque ad Africae litus accedere, quibus cursus celeritudo aliquantillum retardatur (cf. Scyl. per. § 112)[1]). Adde quod in his maris partibus navigantes saepius venti destituere solent[2]), id quod qui post Hannonem primi hanc regionem adierunt sensere nautae Portugalli: 'Se per mezzo al detto Fiume-dell-Oro non ánno calma, passano di lungo la costa verso Capo-Bianco per trovar calma, e di lì poi fino in Argin'[3]). Denique Hanno ipse compluriens ad terrram appulit, ut eius situm et naturam cognosceret[4]).

Adhuc igitur omnia mirifice ad Hannonis relationem quadrant. Attamen in summas adduci videmur angustias, quod ille duodecimo die ad altos montes odoratis arboribus coopertos se pervenisse ait. Nam in permultis nostrae aetatis itinerariis totus ille orae tractus, qui a promunturio *albo* septentrionem versus est, ita

1) cf. Kerhallet, *manuel d. l. navig.* I p. 245; Peschel l. l. p. 22. adn. 5. Quamquam perperam vulgo (cf. Humb., *krit. Unt.* II 65. *Ans. d. N.* p. 80 sq.) Scylacis aliorumque veterum notas (cf. Theophr. h. pl. IV 7. Aristot. mir. ausc. 148. Avien. or. m. 113. 408) referunt ad *Sargassum* quod vocatur mare: cf. Kruemmel *Pet. ann.* 1891. p. 129 sqq.

2) cf. Mer p. 33. Trève p. 27.

3) cf. Piloto portogh. ap. Ramus., *il viaggio di Giovan Leone* p. 218.

4) cf. Trève p. 42: 'son but n'était pas seulement d'en (sc. de la côte) vérifier la direction dans un intérêt purement géographique, mais d'en faire une véritable reconnaissance, d'étudier les ressources de ces contrées nouvelles pour y nouer des relations commerciales' e. q. s.

describitur, ut nil sit nisi ampla vastaque planities, hic illic modicis tumulis vel scopulis cautibusque interrupta: 'the coast consists of white and red sandy slopes, assuming various shapes, alternately terminating at the water's edge in broken cliffs or in low sandy beaches, on which there is a heavy surf' (cf. *Afr. pil.* p. 116). Ac ne ipsum quidem promunturium *album* cum monte apte conferri, quae ibidem extant, docent haec verba: 'Cap Blanco is a perpendicular white cliff not more than 75 or 80 feet above the level of the sea; it is composed of strata of calcareous grit of varying hardness and its surface is quite barren.' Nec alia res fuit XV saeculo: 'la costa è tutta arenosa', inquit Alvise da Mosto (cf. *Ram.* p. 179/80), 'e bianca e secca ed è terra bassa, tutta eguale; e non mostra esser più alta in uno luogo, che in altro, fino al detto Capo-Bianco'[1]). Sed spes paene desperantibus iam affulget ex hisce Merii (p. 146): 'Si l'on suppose, en effet, que Cerné soit l'île d'Arguin, on constate une omission non moins grave, celle du cap Blanc, qui, comme hauteur, comme escarpement et comme saillie en mer, est encore plus remarquable que le cap Vert', quocum consentit Reclusius (XII 175. 253)[2]). Maxime vero animus erigitur ideo, quia tres viri docti, qui ipsi diutissime in promunturii *albi* vicinia morabantur, Belcher[3]), Aubeus[4]), Bonellius[5]) omnes uno ore altissimos arenarum colles attolli supra *Cap Blanco* concinunt. Eodem spectat, quod in compluribus mappis geographicis montes qui dicuntur *albi* in hac regione appinguntur[6]), oppositi *nigris*, qui prope promunturium *Bojador* ad oram accedunt[7]). Ac ne quis obiciat, eos in vetustio-

---

1) cf. Ram. p. 219. *hist. génér. d. voy.* II p. 428.

2) 'bien plus les deux caps le „blanc" et le „vert" présentent l'un et l'autre de petits massifs: ce sont des pylônes disposés régulièrement à droite et à gauche de la côte du Sénégal.' cf. Lenz, *geologische Karte der Westsahara: Pet. ann.* 1882, tab. I.

3) *Extracts from observ. on various Points of the W.-Coast of Afr. surv. by H. M. S. Aetna: journ. of the r. geogr. soc.* II p. 301 sqq.

4) *L'île Arguin et les pêcheries: rev. marit. et col.* 1872 XXXIII p. 470 sq.

5) *De la costa del Sahara: bol. d. l. soc. geogr. de Madrid* XVIII 1885 p. 346.

6) cf. Grover *journ. of the r. geogr. soc.* XVI p. 105 sq..

7) cf. Douls *bull. d. l. soc. d. géogr. de Paris* 1883 p. 446/47.

ribus solum tabulis conspici[1]), ut mittam Bonellii mappam, quae 'extensas dunas de arenas' continet, recurram ad Anglorum chartam maritimam anno 1886 delineatam, ubi multo altiores supra promunturium album appinguntur colles quam *Los Matillos* sunt, 'not exceeding 250 feet'. Iam vero videamus, num in tanta relationum multitudine veri inveniendi aliqua spes sit. Et primum quidem, quaenam illius sententiarum varietatis et oscitantiae causa sit, eum qui altius penetraverit, non diu latebit. Videlicet summa in his terris ventorum vis est, ita ut arenam continuo moveant et cottidie fere arenosos colles soleant mutare: 'the drift-sand varies in grain from the size of hemp-seed to almost an impalpable powder searching the nostrils, lungs and ears' (cf. *Belcher* p. 300)[2]). Neque desunt certa vestigia, quibus comprobetur, ipsum promunturium *album* paulatim transformari: 'La reconnaissance faite en 1860 par le commandant Aube donna lieu de constater que les fonds et le profil du cap Blanc s'étaient modifiés et qu'une petite île qui existait à la pointe d'Arguin à l'époque où l'île fut abandonnée, avait disparu (cf. *Trève* p. 33 adn. 1). Ce changement s'explique par l'action incessante, sur des sables sans consistance, des vents de Nord et de N-E, qui doivent en très-peu d'années modifier les contours des terres et même le gisement des pointes extrêmes' (cf. *Aube* p. 403)[3]). Quid hinc consequitur? In aprico est neque indiget demonstrationis, qui fiat, ut modo proxime promunturium *album* arenosi colles haud spernendae altitudinis aspiciantur, modo non: videlicet qui hodie in auras assurgunt monticuli, paucis annis post ventis aut delentur aut aliorsum transmigrant. Itaque cum Hanno ad promunturium *album* appropinquaret, optime potuit ibi incidere in arduos clivos, quos, postquam depressum litus diu tenuit, pro montibus habuit: 'pour des yeux lassés de suivre une côte émergeante à peine audessus des eaux de l'Océan, de modestes monts ont pu prendre

1) cf. *journ. of the r. g. soc.* II 1831 tab. I *map of N. Afr., to illustr. the quest. 'Is the Quorra the Niger of the ancients'* by Leake.

2) cf. Suess, *Antlitz der Erde* II 636. Martins, *Von Spitzbergen zur Sahara* II 287 sq. Rohlfs *Ausland* 1872 p. 105 sq. Desor, *Aus Sahara und Atlas* p. 56. Czerny, *Wirkungen des Windes auf die Oberflächengestalt der Erde: Pet. ann. suppl.* 1876 p. 1 sqq.

3) cf. Belcher p. 300: 'The rocks bear witness of the force of attrition on the superior surface, being in some places completely smoothed down.'

l'aspect de hauts montagnes' (cf. *Trève* p. 39. *Vivien* p. 387)[1]). Quamquam duplici de causa minime necessarium est, hoc perfugio utamur: primum enim locuples testis praesto est Peschelius[2]), arenarum montes inter *Bojador* et *Blanco* promunturia ascendere usque ad 180 m.; quin etiam 200 m. altitudinem eos superare affirmant Labatius[3]) et Parranius[4]); dein vero non solum altissimos hos Libyae occidentalis arenosos colles reapse montium speciem praebere contendit Otto Ule[5]), sed etiam de terrae Batavorum clivis, duplo vel triplo minoribus idem observavit Zobristus, qui: 'ces collines de sable', inquit[6]), 'tombent abruptement sur la plaine offrant des espèces de falaises et toutes les apparences d'une véritable chaîne de montagnes.' Iam cum idem addat: 'Les superbes forêts de chênes qui croissent à leur pied contribuent beaucoup à compléter cette illusion', vides, quo iure Hanno montes illos silvis vestitos fuisse rettulerit. Quod a vero alienum non esse, argumentum etiam sumere licet luculentissimum ex Labatii commentatione supra laudata, ubi p. 263 haec: 'La végétation des sables est la plus belle que j'aie vue sur nos côtes. L'ancienne forêt d'Arcachon que l'on traverse en allant au Moulleau présente de très beaux types de pins maritimes, de chênes, des ajoncs, des bruyères, des fougères, des ronces, des genêts' e. q. s. Licet autem hoc fundamento nixi longius pedem proferamus ac simile quid statuamus factum esse in hac regione tot saeculorum spatio interiecto atque quod narrant de Francogallicae orae collibus arenosis Peschelius (I p. 454) et Reclusius[7]). Constat enim

---

1) Mer p. 146. Trève p. 43. Goebel p. 56.

2) *Physikalische Erdkunde* ed. Leipoldt 1879 I p. 452.

3) *Dunes maritimes et sables littoraux: bull. d. l. soc. geologique de France* 1890 p. 263. 272.

4) *Dunes en Algérie et en Tunisie*, ibid. p. 247. cf. Vogel *Pet. ann.* 1855 p. 245. Walther *Abh. d. kgl. sächs. Akad. d. Wiss. math.-phys. Kl.* XVI 3 p. 503.

5) *Die Erde* p. 383: 'Diese Sanderhebungen machen den Eindruck wirklicher kleiner Gebirge, und ihre parallel der Küste wie ungeheuere Wogenreihen geordneten Ketten scheinen ein ganzes orographisches System zu bilden. Ihre steilen Gehänge, ihre scharfen, wie mit einem Messer geschnittenen Kämme, die regelmässige Form ihrer Gipfel etc. verleihen ihnen einen auffallenden Schein von Grösse.'

6) *bull. d. l. soc. Neuchateloise de géogr.* IV p. 27.

7) *La Terre* II p. 247.

certis testimoniis, eos arenarum montes, qui proxime adiacebant *Médoc* urbi, usque ad XVI saec. densissimis silvis tectos fuisse, in quibus apros cervosque venabantur nobiles Francogalli. Attamen sive neglegentia sive stultitia accolarum accidit, ut pulcherrimae quae ibi extabant varii generis arbores stirpitus evellerentur, cuius rei gravissimam mox ipsi luebant poenam: quae enim antea arborum radicibus firmabantur et retinebantur taeniae, brevissimo temporis spatio praeterlapso locum mutabant et vel in mediterranea migrabant summa celeritate[1]) vel maris quasdam partes obruebant[2]). Unde concludo, etiam in meridionali hac *Saharae* regione arenas migrare coepisse, postquam Hannonis montes nescio qua de causa odoriferis illis palmis orbati erant, atque inde ab hoc demum tempore mare quoque eis pedetemptim oppleri; multitudinem earum in dies augeri notum est: totus enim *Arguin* sinus hodie permagna circumsaepitur taenia[3]), quam non tanta amplitudine fuisse, cum Borussi, Batavi, Francogalli, Britanni de *Arguin* insula decertarent, admodum verisimile est[4]).

Patere ex his etiam credo, quid sit, quod Hanno bidui navigatione se illos montes circumisse narrat; nolo enim traditam lectionem cum Muellero (p. 9) aliisque mutari in *παραπλεύσαντες*: scilicet hodie quoque in ipso circumflectendo promunturio complures saepius consumi dies, omnes omnium nationum nautae, qui *Arguin* sinum visere, renuntiarunt[5]), atque adeo desperatus est periplus, ut Belcher (l. l. p. 279) trierarchis suadeat, ne, si venti subiti ac procellosi sint, circumnavigando vitae periculum faciant; deligent potius, monet, naves ad ancoras in occidua promunturii parte, ubi perparvus patet sinus, vocatus nunc *West Bay*, ibique secundos exspectent ventos. Itaque Hannonem duos in hanc navigationem impendisse dies probabile est.

Iam vero Hannonis titulum interpretari pergamus. Perveniunt montibus feliciter circumitis in inmensum maris hiatum Carthagi-

1) cf. Reclus II p. 271.

2) cf. Peschel-Leipoldt p. 458/59. De maris Baltici oris Frederici Guilelmi I aetate arboribus spoliatis ideoque arenarum vi vastatis similia narrat Foss *Zeitschr. d. Gesellsch. f. Erdk. zu Berlin* XI p. 251.

3) Quanta sit eius magnitudo, docet Mer p. 36. cf. *Afr. pil.* p. 119.

4) cf. Fitzau p. 241. Trève p. 28.

5) cf. Mer p. 36. 139.

nienses, cuius ab altero latere in continente ampla planities longe lateque patet: altera ab parte hoc *χάσμα* ipsis illis montibus circumcludi res ipsa loquitur. Quid vero potest esse evidentius, quam ingentem maris recessum putandum esse hodiernam *Levrier baie*? Quid rei magis conveniens? Habes a sinistra promunturium *Blanco*, prae depresso quod adiacet litore non exigua altitudine[1]), a dextra vastos campos: 'the coast on the eastern side of Levrier bay is low'[2]). Accipe vero, cur *ἀμέτρητον χάσμα θαλάττης Levrier* sinum Hanno appellaverit: 'The long promontory of cape Blanco forms the western side of the extensive bay of Levrier, which is 25 miles long from north to south and nearly 20 miles wide at the entrance'. Magis autem perspicuum fit illud nomen inde, quia persuasissimum mihi est, Hannonem *χάσματος* terminum meridionalem non intellexisse id promunturium, quod reapse *Levrier* sinum claudit nuncupatum *Arguin point*, humillimum sane nec longe prominens, sed altum illud et satis conspicuum, cui nomen adscribitur in tabulis *Mirik*: itaque *Levrier baie* et *Arguin baie* in unam coniunxit. Quod quam facile fieri potuerit, cum ipsa rerum natura luculenter ostenditur, tum eis quae XV saeculo Portugalli rettulerunt: 'il (scil. le golfe d'Arguin) commence au Cap Blanc et finit au cap Mirik à l'embouchure de la rivière de St. Jean. La Baye entre ces deux Caps est défendue par un banc de sable'[3]). Nec eodem quamvis levi errore vacant, quae Mueller ipse (p. 6) exposuit haec: 'iam si in mappam oculos conieceris, patet navigationem meridiem versus pertinuisse usque ad promunturium album, *Cap Blanc*; nam ibi demum ora versus ortum flectitur magnumque efficit sinum, cuius terminus meridionalis est promunturium *Mirik*.' Praetenditur sinui arenarum quaedam quasi taenia, quae maris impetum frangit, neque tamen introitum nautis intercludit. Denique si ab hoc promunturio progrediemur, quae iam sequuntur, optime poterunt constitui.

Priusquam vero huc nos convertamus, oportet me eis quae hucusque disputavimus pauca addere explicandi causa. Dicit Hanno (§ 11), ne Lixitas quidem, quos interpretes secum duxit, earum gentium linguam calluisse, quae deserti oram inde a Cerne insula

1) cf. Fitzau p. 240/41.
2) cf. *Afr. pil.* p. 117.
3) cf. *hist. gén. d. voy.* II p. 425. 429. Pilot. Portogh. ap. Ram. p. 219.

meridiem versus protensam tenuissent. Hoc qui diligenter ponderaverit, vix dubitabit, quin ab hodierno promunturio *Bojador* alius cuiusdam populi sedes coeperint ab ea quae antecedebat gente lingua divisi. Inspicias autem quaeso mecum quam Fitzavius adumbravit tabulam ethnographicam, et quovis pignore certarim, fore, ut summa afficiaris admiratione, cum vix credi possit, quantopere hodiernus rerum status Hannonis narrationi conveniat: evanescunt post unius fere diei viam a *Sakhiet el Hamrae* ostio meridiem versus emensam quae antehac litus tenuerunt gentes, accedunt ad mare, quae hucusque habitarunt terram mediterraneam. Nec vero tam stultus sum et inscitus, ut contendam, eosdem qui nunc finitimi sibi sunt populos antiquis iam temporibus has incoluisse regiones. Immo nostrum est inquirere, quaenam stirps a septentrione, quaenam a meridie hucusque pertinuerit, atque potest haec quaestio certis veterum testimoniis profligari. Initium disputationis repetam ab ipso Hannone, qui ad Lixum fluvium in mediterraneis saltem inciderat in Aethiopas (§ 7), quorum terras a Cerne insula per duodecim dies praetervehebatur (§ 11). Reminiscaris dein, Scylacem narrare (§ 112) Phoenices ad Cernen commercia habere cum Aethiopibus, neque id praetermittendum, in Plinii (V 1, 10) enumeratione Daratitas excipere Aethiopas Perorsos. Accedunt Strabo (II 3, 4 p. 100), Sallustius (Iug. 19), Appianus (Num. 5), qui uno consensu tradunt, Aethiopas vicinos fuisse Bocchi imperio[1]) et habitasse etiam trans loca exusta solis ardoribus. Ab altera vero parte Pausanias I 33, 5 testatur, Nasamonas Lixitas appellare eos, qui in extremis Libyae finibus Atlantem accolant. Quae singula per se spectata non habent multam vim; sed coniuncta inter se non sunt spernenda: efficitur inde Libyas et Aethiopas proximos sibi quondam fuisse; terminus, qui inter eos intercidit, accuratissime definitur Hannonis periplo: nimirum idem est, qui hodie *Berberos* seiungit Arabesque quasi natura ipsa constitutus. Ac totum desertum olim in Aethiopum dicione fuisse omnesque eius amoenos locos ab eis occupatos supra iam praeteriens monui: passim enim in *Sahara* extant aedificia et monumenta, quae ad alios auctores nequeant reduci; congessit quae huc spectant omnia Duveyrier[2]), cuius ipsius verba repetita expendam: 'il est désor-

1) cf. Ptol. IV 6, 16. cf. Knoetel l. l. p. 12. Goebel l. l. p. 62.
2) *les Touaregs du Nord* p. 279 sqq.

mais à peu près certain qu' à une époque très-ançienne a régné dans tout le Sahara une civilisation nègre très-avançée pour l'époque et que cette civilisation a doté le pays de travaux hydrauliques remarquables, de constructions distinctes de toutes les autres, de tombeaux qui ont partout le même caractère, de sculptures sur les rochers qui rappellent les faits principaux de leur histoire'. Eiecti esse videntur ex his possessionibus ea aetate, qua Arabes in occidentalem Libyae tractum invaserunt, ita ut tum demum *Senegal* fluvius septentrionalis eorum finis factus sit[1]), id quod iniuria plerique geographi ad antiquitatis tempora revocant[2]).

Odoriferae autem palmae etsi in septentrionali hac regione hodie interierunt, tamen magna multitudine efflorescunt in *Liberianis* silvis (cf. *Mer*. p. 43/44). Denique appropinquante nocte creberrimos incendi ignes, cum feroces Africae bestiae noctu ex antris et speluncis praedam capturae egredientes nulla alia re a gregibus pastorumque tentoriis arceri possint nisi flammis undique micantibus simulque cum exterarum gentium navibus visis excubiae habeantur, satis superque iam a commentatoribus comprobatum video[3]). Relinquitur, ut circumspiciamus, num Carthaginienses in *Arguin* sinu aquam dulci potu haurire potuerint. Nam haec res quae primo aspectu parvi esse videtur momenti, revera summi est: 'Je reviens souvent à cette question de la cruche à eau, mais, en marine, c'est partout une question de la plus haute importance, c'est même la prèmière chose dont on s'occupe en arrivant à un mouillage. Il faut que cette question, si vulgaire en apparence, ait aussi préoccupé Hannon et qu'il ait eu beaucoup de difficultés à renouveler sa provision d'eau douce, puisqu'il juge nécessaire d'en faire la remarque' e. q. s. (cf. *Mer*. p. 141). Nec vero ullam dubitandi causam Hannonis relatio praebet: nam cum per se verisimillimum sit, eius aetate magis aquosam fuisse hanc terram — scilicet plane alia erat ratio hydrographica, — Alvise da Mosto aquae copiam in *Arguin* insula supplevit: 'in quella

---

1) cf. Peschel, *Völkerkunde*[6] ed. Kirchhoff p. 487. Mueller, *allgemeine Ethnographie* p. 111.

2) cf. Vivien de St. Martin p. 388. Meltzer I 233. Mer p. 108. Kiepert p. 222. Berghaus, *Phys. Handatlas* VIII.

3) cf. Mueller p. 12. Entz p. 42. Mer p. 44. Doelter p. 67 sqq.

d'Arguin si truova dell' acqua dolce assai' (cf. *Ram.* p. 180), et qui recens a Francogallis publice emissus est, ut hunc orae tractum exploraret, Fubrandius haec rettulit (*rev. colon.* 1861 p. 511): 'elle (sc. l'île d'Arguin) peut fournir plus de 1000 mètres cubes d'eau excellent provenant des infiltrations des eaux pluviales et de source'[1]).

Iam vero eo perventum est, ut ad Hesperium promunturium progrediamur. Perlustremus igitur, quae de eo veteres narraverint. Suppetit primum locus Plinianus, qui parum diligenter spectanti falsam facile ostendat spem, quia cum Hannonis quadam quae postea afferetur mensura congruere videtur: dico VI 197, ubi haec extant verba: 'Sita est Aethiopia ab oriente hiberno ad occidentem hibernum; meridiano cardine silvae hiberno maxime virent, a media eius parte imminens mari mons excelsus aeternis ardet ignibus, Theon Ochema dictus a Graecis, a quo navigatio quatridui promunturium, quod Hesperu Ceras vocatur confine Africae iuxta Aethiopas Hesperios.' Attamen duae potissimum causae sunt, quibus hinc utilitatem percipere prohibemur. Altera est, per se sat gravis, quod non liquet, quonam loco Plinius vel eius auctor Theon Ochema montem situm sibi finxerit. An te fugit, Plinii de meridiana Aethiopiae ora opinionem a vera eius configuratione longissime recedere? Accedit aliud quid, quod infra diligentius explanabo: contendo enim, Plinii distantiarum notam manasse solum ex ipsius Hannonis periplo eoque prave intellecto. Neque etiam ex altero loco, qui aliquantisper placuit, capiamus licet, ubi pedem figamus. Scriptum est V 10, a Bamboto fluvio montes perpetuos usque ad eum, quem Theon Ochema dicamus, esse, inde ad promunturium Hesperium navigatione dierum ac noctium decem perveniri: in mediis autem his locis Atlantem montem esse, a ceteris omnibus in extremis Mauretaniae collocatum. Atque Bambotus quidem fluvius, modo veram vocis originem perspexerit Bochartus[2]), idem est atque Hannonis fluvius crocodilorum hippopotamorumque plenus, a quo meridiem versus reapse colles ascendunt, vocati *Los Matillos*[3]): sed per admodum exiguum spatium oram sequuntur, quae mox humilis iterum et depressa porrigitur, ac ne tenuissimum

1) Mer, qui p. 140 obloquitur, ipse navem ad hanc terram non appulit.

2) p. 714. cf. Vivien de St. Martin p. 386. Mueller p. 9. Kiepert p. 222.

3) cf. Fitzau p. 234/35.

quidem vestigium nec vola est montis alti, qui 'deorum currus' iure dici possit. Si vero Plinii auctor ultra *Juby* promunturium ipse longe progressus esset, quae invenisset, ita descripsisset, ut intellegi possent; quod cum secus sit, apparet, eum pendere ex aliorum fide et rettulisse ficta tantum, quae nec viderit quisquam nec videre potuerit. Permira enim in eis quae sequuntur ignorantia est et duplex maxime error: non solum Theon Ochema montem ponit, ubi Hesperium promunturium ponendum erat, Hesperion promunturium, ubi Theon Ochema commemorari debuit, sed etiam Atlantem in media deserta detrusit, quamquam nemo puto dixerit, ubi ille quaerendus sit. Itaque unam video ex his angustiis effugiendi viam: ut prorsus abiciamus in topographica quaestione decernenda omnes has Plinii notas. Id unum postea reputandum erit, num eius numeri ex undevigiuti Hannonis diebus qui inter Cernen insulam et Hesperi promunturium intercedunt originem duxerint, Atlas meridionalis ex eis qui *θαλάσσης ἀμετρήτῳ χάσματι* adiacent montibus. Haud absimili vero modo ne mediocris quidem lux redundat ex eis quae porro leguntur apud eundem Plinium (VI 199), ex Hesperio inde promunturio primum circumagere terrarum frontem in occasum ac mare Atlanticum, id quod ex eadem illa prava de Libyae oris opinione oriundum esse patet. Denique incredibiliter omnium rerum confusio adaugetur eis quae subsequuntur verbis (§ 200), quibus Gorgades insulae opponuntur Hesperi cornui, quae revera obiacent *Νότου κέρατι*. Quantopere omnia vel incerta vacillent vel obscura lateant, ipse Plinius optime persentiscit, cum dicat (§ 201): 'adeoque omnia circa hoc incerta sunt, ut Statius Sebosus a Gorgonum insulis praenavigatione Atlantis dierum XL ad Hesperidum insulas prodiderit, ab his ad Hesperu Ceras unius'. Plinianis autem apprime conveniunt, quae Solinus (229. 230 M.) tradidit: novi inde nil discimus; nam satis habuit Solinus quae apud Plinium inveniebat, exscribere et quantum eius fieri potuit, magis etiam confundere et turbare. Neque mitius iudicium est de Pomponio Mela (cf. III 94—100). Denique quid opus est, Diodori (III 68) ceterorumque mythologorum monstra afferre? Restat igitur unus Ptolemaeus: attamen ne is quidem praeter omnem exspectationem praestantiorem se praebet reliquis: ut enim alia mittam explodendae eius auctoritati idonea, uno utar argumento, quo omnis quaestio discernitur: ponit Daradis fluvii ostium (IV 6, 2) sub 15° (cum revera exeat sub 28°): dein inde ab 11° meridiem

versus magnum habet sinum, qui finiatur Hesperio promunturio sub 8°; attamen in aprico est, nos a Darate per 7 gradus procedentes in eas incidere regiones, quas Hanno diu iam praenavigaverat, priusquam ad Hesperium promunturium appelleret. Singula autem in Ptolemaei tabulis quomodo definienda sint, nondum huius loci est persequi.

Iam ut quae hucusque exposui, paucis complectar, demonstrasse mihi videor, etsi testimoniorum penuria non laboramus, tamen nil eis contineri, quod non satis obscurum sit et inutile. Quo magis miror, quod omnes adhuc philologi et geographi[1]) id affirmarunt potius quam iudicarunt disputando, veterum Hesperu Ceras componendum esse cum hodierno promunturio *Verde*: quae protulerunt, ut istam stabilirent coniecturam, non argumenta sunt, sed verba: 'C'est le point le plus occidental de toute l'Afrique, comme le cap Guardafui à 1700 lieues de là, presque sous le même parallèle, en est le point le plus oriental. L'appellation de cap Occidental a dû s'offrir d'elle-même à l'esprit des navigateurs: aussi ce nom trouve-t-il dans la relation de Polybe, dans Ptolémée et ailleurs et l'on ne saurait douter que notre cap Vert ne soit le point auquel il s'applique' (cf. *Vivien de St. Martin* p. 389). Quod communi quidem fama decantatum est; attamen magnopere vereor, ne a vero absit longissime. Unum addo: postquam hanc sententiam nostrae aetatis viri docti sibi excogitarunt, quid hinc proclivius erat, quam idem statuere de Hannone? Sed quid dico proclive? Necessario illa opinio etiam ad Hannonis periplum transferenda erat: nam reliqui geographi hucusque certe non penetraverunt, adiit certe has terras Carthaginiensium dux. Nihilominus vero huius Hesperium promunturium vulgo autumant esse *Gambiae* fluminis ostio propinquam insulam, cui cur illud nomen indiderit Hanno, latet et semper latebit.

Sed quid laboramus explicandis quae et veteres scriptores mira protulerunt et magis mira vidit nostra aetas, cum optimum ducem ipsum habeamus Hannonem? Qui, etsi perplexis posteriorum saeculorum testimoniis nil adiuvamur, solus facit, ut ne sic quidem quid statuendum sit haereamus. Convenit vero, ni egregie fallor, id supra inter nos, in Carthaginiensium itinere porro ex-

---

1) cf. Vivien de St. Martin p. 389. Mueller p. 9. Forbiger II p. 881. Bunbury p. 326.

pediendo proficiscendum esse ab eo promunturio, quod nunc audit *Cap Mirik:* unde si quinque dies oram sinuosam sequimur, 2500 stadiis emensis reapse pervenimus ad hodiernum *Cap Verde:* ut longam disquisitionem brevi praecidam, tribus verbis moneo, Merium (p. 145) ita loqui: 'Si l'île d'Arguin avait été Cerné, il n'était pas nécessaire de douze journées de navigation pour faire les 130 lieues qui séparent cette île du cap Vert: il suffisait de cinq ou six jours au plus.' Quam rationem plurimum commendationis habere fatendum est, puto, et eam tenendam esse aliis quoque evincitur argumentis non infirmis.

Est enim hercle, in quo omnia itineraria a XV. saeculo ad hunc usque annum conscripta consentiunt[1]), promunturium *Verde* maxime conspicuum omniumque nautarum in se convertit oculos: 'il est facile à reconnaître aux deux mamelons qui le surmontent et sur lesquels durant l'hivernage passe une végétation rabougrie, contrastant assez nettement avec la côte qu'on a parcourue depuis St. Louis et au-delà' (cf. *Mer* p. 145). De Fennero, anglico trierarcho qui promunturium *Verde* adiit anno 1566, summatim haec narrantur: 'quoique n'ayant aucune mission à remplir lui et ses compagnons ne resistèrent pas au désir de voir de plus près la belle perspective qu'ils avaient devant les yeux' (cf. *Trève* p. 44 adn. 4).

Adicio vero potiorem hanc causam, ex ipsa rerum natura ipsoque promunturii nomine petitam. Occidua Libyae ora inde ab initio usque ad promunturium *Verde* recta porrigitur linea, si maiorem illum recessum, qui hiat infra *Cap Blanco,* neglegimus, inter occasum brumalem et meridiem spectans: subito autem in contrarium litus circumflectit, ita ut ad ipsum *Cap Verde* rectus qui vocatur angulus efficiatur, et ad amussim inter meridiem et ortum solis protensum tenet hunc cursum usque ad promunturium *Palmas.* Ex veterum igitur opinione hodiernum *Cap Verde* terminus est occiduae orae Libyanae, initium meridionalis. Itaque vide mihi, quam commode declaretur, quo iure Carthaginiensium imperator ipsum hoc promunturium *Ἑσπέρου Κέρας* compellaverit.

---

1) cf. Alv. da Mosto XXXIV ap. Ram. p. 190. 194. Trève p. 44 adn. 4. Vivien de St. Martin p. 387. Elisée Reclus XII p. 175 sqq.

Denique uno verbo aperiam, quid mihi videatur de mira illa insula, quam Hesperi Cornui oppositam repperit Hanno. Non sane nescius sum habere brevem eius descriptionem in quo offendamur. Talis enim insula, qualis Hannonis expositioni respondeat — palam id profiteor — neque meridiem neque septentrionem versus adiacet promunturio *Verde*. Una tantum inest in ipso eo sinu, qui *Dakar*, Francogallorum colonia, tenetur, cui nomen inditur *Gorée*: at non ea est forma et specie, quae Hannonis titulo flagitatur[1]. Aptius fortassis conferantur *the Madeleine islands*, in quas in circumflectendo promunturio primas incidis, cuius rei certum videtur indicium esse, quod nauticus ille Anglorum liber hisce eas depingit: 'The largest is shaped like a crescent, open to the westward and is about 600 yards in length. It consists of a hard red rock with some basalt and is destitute of any vegetation though it appears that formerly a few baobab trees grew in its crevices.' In quas insulas egressi sunt audaces illi saeculi XV. nautae teste Alviso da Mosto (cf. *Ramus.* p. 190): 'e passato il detto capo trovammo tre isolette piccole, non troppo lontane da terra, disabitate, e copiose d'arbori tutti verdi e grandi.' Vides quantopere abhinc conversa sit earum facies. Itaque nil est, quo vetemur statuere, *the Madeleine islands* Hannonis aetate miram illam figuram praebuisse: nam id genus insulae quantas subinde pati soleant mutationes, nequit nescire, qui vel leviter has res attigerit et perlegerit quae de hac materia copiosius explicavit Hahnius (*Inselstudien* p. 171). Quamquam igitur de his cogitare veri haud dissimile mihi videtur, tamen, etiamsi quis Hannoneae insulae hodie nullum superesse vestigium autumet, non obstinate refragor. Gravissimam enim eis, qui Hannonis periplo navabunt operam, hanc legem dico, ne ubicunque singularis illius formae insula inveniatur, statim eam eandem esse censeant atque Hannonis. Aliter vereor, ne similes admittant errores, atque Mueller aliique permulti, qui in hodierna *Orango* Carthaginiensium insulam se recognovisse opinati sunt, quamquam nec mensurae quadrant neque *Ἑσπέρου Κέρατος* nomen cum ea conciliatur. Talis autem ratiocinatio duplici de causa necessitatem non habet: primum eius figurae insulae haud rarae sunt, sicuti

---

1) Veteres huius insulae tabulae prostant in altero eius operis volumine, cui inscribitur *histoire générale des voyages* II p. 447. 448/49, recentissimae apud Faidherbeum, *le Sénégal* p. 258; cf. Buettikofer, *Liberia* I p. 282.

4*

dilucide ostendunt Buettikoferi tabulae, quibus adumbratur ora *Liberiana*[1]), attamen brevissimo saepe temporis spatio interiecto deformantur. Potuit dein Hannonis insula aut Vulcania fuisse quales omnes fere maiores quae occidentali Libyae litori obiacent[2]) — haec est Humboldtii sententia, qui (*Kosmos* IV p. 287. 522, *krit. Untersuchungen* II 95) similia ex aliis mundi regionibus congessit —, aut lapis e coralliis conflatus[3]). Nam huius generis insulas in certo quodam processus gradu talem prae se ferre speciem, qualis Hannonis descriptione postulatur, Peschelio nixus (cf. I 495) affirmo, et praesto sunt, etsi in notissimis libris corallia in occidua Libyae ora desiderari legitur (cf. *Hahn* l. l. tab.), qui contrarium probent, veluti Aubeus (l. l. p. 483) prope promunturium *Blanco* ex profundo mari eorum bracchia extraxit: 'seulement, à notre premier mouillage sur la côte, à quelques lieues au Nord du faux Cap Blanc, l'ancre a rapporté un rameau de corail du plus beau rouge, et dont les branches principales avaient plus de 0 m. 25 de longueur. J'ignore si ce produit est abondant en ces parages, et je ne cite ce fait que parce qu'aucun des renseignements que j'ai pu recueillir ne s'y rapporte': utriusque autem generis insulas aeris vi marisque haustu saepius brevi destrui nemo nescit. Sed utcunque hoc est — nam liberum esto arbitrium incerta sectantibus —, revocemus nos ab his rebus, quibus diutius nos immoratos videmus: id certissimum est, hanc dubitationem — si est dubitatio — haudquaquam eam vim habere, ut tota mea explicatio inde labefactetur.

Quae in fine huius paragraphi adduntur apud Hannonem, ampliorem non exposcunt indaginem. Ex veterum auctorum numero comparari iubeo quae traduntur apud Plinium (V 1), Melam (III 9), Solinum (c. 27), aperte derivata ex Hannonis periplo. E recentioribus permulti vel levi bracchio tetigerunt hoc argumentum vel uberius persecuti sunt; verum cum de re longo ex tempore satis constet, eis qui ab interpretibus collecti sunt[4]) locis novos addere

1) cf. Buettikofer, *Mededeelingen over Liberia* 1883; *Liberia* I 1890 II 1891.

2) cf. Suess l. l. II 156. Doelter *Vulkane der Cap Verden* 1882. Calderon *Bol. soc. geogr. Madrid* 1884 IX p. 377. Peschel-Leipoldt I 496 sq.

3) cf. Humboldt, *Ans. d. Natur*[3] I p. 181.

4) cf. Mueller p. 12. Entz p. 44. Mer p. 48.

inutile est. Si quis accuratissimam requirat descriptionem, eum remitto ad Doelterum, qui totum caput XVIII (p. 194) de talibus caerimoniis composuit[1]).

Iam priusquam disputando progrediar, quoniam hoc stadium pro virili parte emensi sumus, iuvat respicere, et quae hucusque enucleavimus, certissimo firmare argumento. Perlegas enim velim mecum haec Arriani verba, quae nemodum recte explanavit[2]) (Ind. XLIII § 11. 12): *Ἄννων δὲ ὁ Λίβυς ἐκ Καρχηδόνος ὁρμηθεὶς ὑπὲρ μὲν Ἡρακλείας στήλας ἐξέπλωσεν ἔξω ἐς τὸν πόντον, ἐν ἀριστερῇ τὴν Λιβύην γῆν ἔχων· καὶ ἔστε μὲν πρὸς ἀνίσχοντα ἥλιον ὁ πλόος αὐτῷ ἐγένετο τὰς πάσας πέντε καὶ τριήκοντα ἡμέρας· ὡς δὲ δὴ ἐς μεσαμβρίην ἐξετράπετο, πολλῇσιν ἀμηχανίῃσιν ἐνετύγχανεν ὕδατός τε ἀπορίῃ καὶ καύματι ἐπιφλέγοντι καὶ ῥύαξι πυρὸς ἐς τὸν πόντον ἐμβάλλουσιν.* Ac primum leve est, sed non praetereundum, quod Arrianum vel eum quem exscripsit auctorem Hannonis periplum pleniorem in mensuris quidem adnotatis ante oculos habuisse hic locus manifesto documento est: si enim distantiarum numeri singulis itineris partibus additi non fuissent, undenam potuit illa summa subduci, quae cur in dubitationem vocetur, ne levissima quidem causa est? Itaque haud erravero fortasse, quod in alia quoque peripli paragrapho distantiae notam intercidisse infra demonstrare studebo. Sed redeamus ad Arrianum et dicamus, quid rei sit! Atque qualem ille sibi finxerit orae figuram et quanam commotus ratione, nunc non curo: id clarissima in luce positum est, ex eius opinione Hannonis navigationem ad orientem solem conversam pertinuisse usque ad Hesperi promunturium, hinc coepisse Carthaginienses meridiem versus cursum dirigere. Agedum iam videamus, num Arriani numerus concinat cum eo quem nos enucleavimus: namque a reliquorum interpretum commentis toto coelo distat, et quod Mueller (p. 14) gloriatur, Arriani 35 diebus respondere ex suo computo 37, id veritati prorsus contrarium est: etenim ex eius tabulis (cf. *prol.* p. XXV) non $37\frac{1}{2}$ dies, sed $44\frac{1}{2}$ usque ad Hesperu Ceras consummari, ipse nequit diffiteri. Secundum nostram autem explicationem locorum adornatio haec est:

1) cf. Ratzel, *Völkerkunde* I p. 615.

2) Novissime desperavit Berger, *Gesch. d. wiss. Erdk. d. Griechen* III 1891 p. 73.

	Cod.	nos	summa
A freto Gaditano ad Thymiaterion dies	2	2	2
Inde ad Soloentem promunturium „	—	4	6
Hinc ad stagnum iuncosum „	$\frac{1}{2}$	$\frac{1}{2}$	$6\frac{1}{2}$
Inde ad Caricum Teichos usque „	1	1	$7\frac{1}{2}$
Hinc per Gytten, Acram, Melittan, Arambyn ad Lixum dies	—	$5\frac{1}{2}$	13
Inde meridiem versus 2, versus ortum ad Cernen insulam . . . . . dies	3	3	16
Inde 1) ad montes silvosos „	12	12	28
Hinc ad vastum maris hiatum „	2	2	30
Inde ad Hesperi Cornu „	5	5	35

Manent igitur calculi mei si a levioribus quibusdam rebus vel suapte natura dubiis discesseris, prorsus recti atque integri.

Sed tandem aliquando pergamus et Hannonis iter ad finem usque prosequamur! Videmus Hannonem ignibus cymbalorumque strepitu perculsum celerrime Hesperi promunturii insulam derelinquere: *ταχὺ δ' ἐκπλεύσαντες*, inquit, *παρημειβόμεθα χώραν διάπυρον θυμιαμάτων μεστ⟨ήν· μέγιστ⟩οι δ' ἀπ' αὐτῆς πυρώδεις ῥύακες ἐνέβαλον εἰς τὴν θάλατταν. Ἡ γῆ δ' ὑπὸ θέρμης ἄβατος ἦν. Ταχὺ οὖν κἀκεῖθεν φοβηθέντες ἀπεπλεύσαμεν. Τέτταρας δ' ἡμέρας φερόμενοι, νυκτὸς τὴν γῆν ἀφεωρῶμεν φλογὸς μεστήν· ἐν μέσῳ δ' ἦν ἠλίβατόν τι πῦρ, τῶν ἄλλων μεῖζον, ἁπτόμενον, ὡς ἐδόκει, τῶν ἄστρων. Τοῦτο δ' ἡμέρας ὄρος ἐφαίνετο μέγιστον, Θεῶν Ὄχημα καλούμενον. Τριταῖοι δ' ἐκεῖθεν πυρώδεις ῥύακας παραπλεύσαντες ἀφικόμεθα εἰς κόλπον Νότου Κέρας λεγόμενον. Ἐν δὲ τῷ μυχῷ νῆσος ἦν ἐοικυῖα τῇ πρώτῃ, λίμνην ἔχουσα· καὶ ἐν ταύτῃ νῆσος ἦν ἑτέρα, μεστὴ ἀνθρώπων ἀγρίων. Πολὺ δὲ πλείους ἦσαν γυναῖκες, δασεῖαι τοῖς σώμασιν· ἃς οἱ ἑρμηνέες ἐκάλουν Γοργάδας. Διώκοντες δὲ ἄνδρας μὲν συλλαβεῖν οὐκ ἠδυνήθημεν, ἀλλὰ πάντες (μὲν) ἐξέφυγον, κρημνοβάται ὄντες καὶ τοῖς πέτροις ἀμυνόμενοι, γυναῖκας δὲ τρεῖς, αἳ δάκνουσαί τε καὶ σπαράττουσαι τοὺς ἄγοντας οὐκ ἤθελον ἕπεσθαι. Ἀποκτείναντες μέντοι αὐτὰς ἐξεδείραμεν καὶ τὰς δορὰς ἐκομίσαμεν εἰς Καρχηδόνα. Οὐ γὰρ ἔτι ἐπλεύσαμεν*

1) Hinc quae sequuntur distantias emetiendas esse sponte patet, quod, quamquam iustam causam non intellexerunt, recte tamen fecerunt Mueller (*prol.* p. XXV) et Vivienus de St. Martin p. 401. Contra vix est, cur moneamus, turpiter lapsos esse eos, qui a fluvio crocodilorum pleno computum instituebant, quem errorem praeiverunt Entzius (p. 39) et Mer nec satis caverunt alii (cf. Scharnick p. 398).

προσωτέρω, τῶν σίτων ἡμᾶς ἐπιλιπόντων. Quod prima paragraphus contraxerat vitium, egregia coniectura sustulit Mueller; idem recte *θυμιαμάτων* vocem cum antecedente vocula *διάπυρον* coniungi vetuit, qua id solum significatur, nimio solis ardore has regiones torreri[1]), quem intolerabilem esse ab omnibus viatoribus repetitur. Minus de suffimentis adsentior interpretibus, qui vulgo de fumo odorifero plantarum fragranter spirantium cogitant[2]). Faciliorem quae Hanno refert explicatum habebunt, si animo informaveris quae Mer quamvis alio consilio dicit p. 43/44: 'Il n'est pas un seul marin ayant navigué dans ces parages, qui n'ait remarqué, comme Hannon, cette senteur aromatique particulière dont on est affecté souvent jusqu'à des distances assez éloignées de la côte et que les matelots caractérisent en disant: ça sent la terre. C'est surtout après un temps pluvieux, lorsque la brise du large cesse et que le vent de terre s'établit, que ces parfums, dont l'atmosphère est chargée, arrivent jusqu'à bord.' Commentandi denique operam exposcunt *ῥύακες* illi *πυρώδεις*. Ac quamquam *ῥύαξ* terminus ut ita dicam technicus usurpari solet montium Vulcaniorum eruptionibus[3]), tamen qui harum rerum vel tantillum peritus est, sine ullo errandi periculo contendet, tale quid ab Hannonis relatione longissime remotum esse, etsi multi hanc interpretationem non reformidaverunt[4]). Nondum sane nec confidenter negare licet neque affirmare, utrum montes quidam huic orae adiacentes ignivomi sint necne; nam de *Kakoulima* monte dubitat ipse Reclusius (XII 332): 'Est-ce un mont volcanique et voit-on, comme le disent les indigènes, une légère colonne de fumée jaillir d'un cratère terminal?'[5]) At ipsa Hannonis verba talem explicationem non admittunt: etenim cum eruptionibus coniuncta esse solent et debent alia portenta miro atque horribili visu, quae ipsi veteres saepiens describunt, veluti Vergilius (Aen. III 571 sqq. R.):

— horrificis iuxta tonat Aetna ruinis
Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem,
Turbine fumantem piceo et candente favilla,

1) cf. Doelter l. l. p. 238. Hann, *Handbuch der Klimatologie* p. 244 sq.

2) cf. Müller p. 12. Vivien de St. Martin p. 393.

3) cf. Nissen, *italische Landeskunde* I p. 279/80.

4) cf. Humboldt, *krit. Unters.* II 95; *Ans. d. Nat.* I 181. Entz p. 46.

5) cf. Vigné *bull. d. l. soc. d. géogr. de Bordeaux* 1886. VI.

Adtollitque globos flammarum et sidera lambit;
Interdum scopulos avulsaque viscera montis
Erigit eructans liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat fundoque exaestuat imo.

(Cf. Pind. Pyth. I 20 sq. [Gell. n. a. XVII 10]. Aetna 461 sq.) De his omnibus nil apud Hannonem! Nec minus improbanda, ut hoc quasi in transitu significem, ea quam plerique proferunt sententia, Bruceum[1]) laudantes, ubi haec leguntur: 'Aethiopes Shangalli Africae gramina a solis radiis exusta incendunt et hi ignes incredibili celeritate atque impetu supra Africae latitudinem extenduntur et loca quaeque invadunt, ubi exsiccata inveniantur gramina et fruticeta. Postquam flammae omnia quae sunt arida in campis consumpserunt, ad montium cacumina escendunt et reliquas plantas in terrae faucibus, hiatibus, canalibus crescentes statim corripiunt. Tunc ab altera clivorum parte per eosdem canales devolvuntur, in quibus aqua delapsa erat et eo demum loco extinguuntur, ubi montanus fluvius in mare effunditur. Ego saepe hoc spectaculum vidi, et viatori et peregrino has flammas procul intuenti earumque causam plane ignoranti sine dubio ardentes torrentes appareant necesse est'. Haec Brucei explicatio ut specie quadam veritatis commendatur, reapse tamen facile cognoscitur perversa. Etenim si quae de occidentali ora similia narrantur[2]) subtilius examinaveris, ea potissimum in re videbis a Brucei narratione differre, quod de torrentibus ignifluis qui in rivorum alveis ad oceanum devolvantur ibi neque sermo est neque potest esse: nimirum tantum abest, ut per dimidiam anni partem *Senegambiae* inferioris flumina exsiccentur, ut aquis semper abundent: 'toute la région du littoral qui s'étend du nord-ouest au sud-est, sur une longueur de 300 km. en droite ligne, entre la Guiné portugaise et les possessions anglaises de Sierra-Leone, a reçu le nom de ‚Rivières du Sud'. Cette appellation provient de ce que, pour les marins et les négociants, les bouches des rivières, où pénètrent les navires pour trafiquer avec les indigènes, sont les seules parties du territoire ayant quelque

1) *Reisen zur Entdeckung der Quellen des Nil* II p. 525. cf. Mueller p. 12.

2) cf. de Senegalis fluvii regione Mungo-Park (vers. Germ. p. 233), de Sierra Leone Winterbottom (vers. Germ. p. 70), de Liberiae oris Buettikofer l. l. I p. 87. cf. Mueller p. 12.

importance'[1]). Itaque satis et inscite et insolenter excogitata illa sententia nequit probari. Nec propius a veritate abest, quod Mer p. 49 et Trévius 39 protulerunt. En habes eorum verba: 'C'est la région où les tornades, nom des orages de la côte occidentale d'Afrique, acquièrent l'intensité qui en fait un spectacle terrifiant. En juin et juillet, il y en a souvent deux dans la même journée. On entend d'abord quelques lointains roulements de tonnerre et des éclairs sillonnent la nue. Bientôt ces éclairs deviennent plus vifs, plus multipliés, les grondements du tonnerre plus nombreux, plus rapprochés. Tant que le nuage de la tornade ne s'est pas beaucoup élevé au-dessus de la côte, les éclairs semblent partir de la côte elle-même et s'écouler dans la mer comme des torrents de feu. L'illusion est complète'[2]). Quod ut ita esse demus — quamquam ad dubitandum quam ad credendum equidem sum paratior —, tamen haec disputatio haud paucos scrupulos in animo meo reliquit — et relinquet, puto, apud unum quemque —, num Hanno reapse fulgura ista nuncupaverit **πυρώδεις ῥύακας**. Ceterum quae dudum iam a Muellero refutata sunt (cf. p. 12), veterem cramben non recoquo. Nobis, ut in pauca omnem ratiocinationem conferamus, succurrunt quae Petrus de Cintra rettulit haec (cf. *Ram.* p. 200): 'e del capo (agitur de Sierrae Leone montibus) di detta montagna andando circa miglia trenta più oltra, si truova un' altra fiumara grossa, che è larga, nella boca, da miglia tre: alla qual misero nome il Fiume-Rosso: e questo, perchè l'acqua di questo fiume si mostrava esser come rossa, per il fondo ch'era terren rosso' e. q. s.[3]). Elucet e brevissima hac descriptione, Portugallos XV. saeculo offendisse in eadem re, quae olim Hannonis admirationem excitaverat, etsi huius aetate latius videtur patuisse.

Sed possunt haec delibari solum et attingi, non enarrari: ocius enim ad finem penetrandum est! Omnis difficultas, quae ultimam itineris Hannonei partem obscurat, in eo posita est, quod hactenus quantum scio omnes quattuor dierum navigationem computant ab Hesperio promunturio ad Theon Ochema montem. Falso profecto. Quid enim? Nonne expresse Hanno ait, se ab illa regione ignita

1) Reclus XII p. 328/29. cf. Doelter l. l. p. 211 sq. Buettikofer I p. 49.

2) cf. Robiou ap. Mer. p. 150. Buettikofer l. l. p. 51. Hann l. l. p. 250. Fritz, *Period. Erscheinungen* p. 202.

3) cf. Buettikofer I p. 46. Reclus XII p. 372.

suffimentorumque plena per quattuor dies iter continuasse? Habemus igitur certum indicium distantiae notam in ea quae antecedit paragrapho sive omissam esse ab eo, cui graeca punici tituli versio vindicanda est, sive excidisse librariorum culpa: illud praeplacet, quia iam Plinii auctor (VI 197) idem peccavit ac recentiores geographi neque Arrianus (Ind. XLIII 11. 12) ex more suo quot dies Hanno ab Hesperi cornu ad Noti navigaverit nobiscum communicat. Itaque cum vulgarem ratiocinationem Hannonis fides dissuadet, tum ratio evertit. Ut enim interim concedamus, ab Hesperio promunturio progrediendum esse in computo instituendo, si a promunturio *Verde* per quattuor dies oram praetervehimur, eum capimus tractum, cui innumerae obiectae sunt *Bissagos* insulae: verum enim vero non solum totum archipelagum, sed etiam terram continentem planam et demissam esse nemo nescit[1]). In eo vero quod deinceps sequitur litore, duobus locis alti montes ad *Atlanticum* mare procurrunt: alter hodie vocatur *Sagres* vel *Kakoulima*, cuius cacumen attollit ad 910 m. altitudinem[2]), alteri sunt *Sierrae Leone* promunturii iuga, quorum qui summus est vertex *Sugar Loaf* appellatus 700 m. assurgit[3]): unum vel alterum interpretes vulgo componunt cum Hannonis Theon Ochemate[4]), flocci facientes quae utrique

1) Tabulas earum in quibus iam disputatio versabitur regionum adhibui has: Anglorum chartam maritimam: *River Gambia to Cape Lopez;* Hassensteinii mappam, qua delineatur ora inde a *Gambiae* fluminis ostio meridiem versus patens (cf. *Pet. ann.* XXVIII 1882 tab. 13); Anglorum possessiones adumbrantur compluribus tabulis, quae ibidem prodiere (cf. *Pet. ann.* XXIX 1883 p. 431. ibid. t. XI). Buettikoferi chartas Liberianas supra iam merito laudavi. De singulis cf. Reclus l. l. p. 294. 327. 333. 343. 345. 373. 392. 398.

2) cf. Reclus p. 332.

3) cf. Reclus p. 345.

4) *Kakoulima* montem, qui altero nomine audit *Sagres,* intellegi iusserunt Ukertus I 1, 66, Mueller p. 13, Vivienus de St. Martin p. 394, Goebelius p. 56, Trèvius p. 39. De *Sierra Leone* promunturio Forbiger II 880 (d'Anvillium secutus) et Peschelius p. 22 cogitaverunt. Gosselinius (l. l. p. 93) eiusque pedisequi Theon Ochema recognoverant in eis montibus, qui prope promunturium *Bojador* ad mare accedunt, Heerenius II 2, 718/19 in promunturio *Verde,* Mannertus (I 2, 49), Ritter (l. l. p. 22), Bougainvillius (l. l. p 22) in collibus quibusdam, qui inter promunturia *Palmas* et *Three-Points* conspiciuntur. Denique Entzius (l. l. p. 46) Hannonis montes componi voluit cum hodierno *Ningo Peak,* Mer (l. l. p. 52/53), Berlioux (p. 25), Scharnickius (l. l. p. 398) cum *Kameruniis*, qui supra Germanorum possessiones altissime in auras attolluntur. Adde, quod Humboldtius, *kr. Unters.* II 95 totam hanc narra-

interpretationi obstant impedimenta. Proficiscamur enim cum eis ex *Orango* insula: tum ad *Kakoulima* montem distantia minor est quattuor diebus, ad *Sierrae Leone* paeninsulam autem quatriduo vix conficitur navigatio ac ne vix quidem. Quae alii somniaverunt, in censum omnino non veniunt. Ut dicam, quid mihi placeat, perverse procedebant, qui Theon Ochema montem cum hodierno nescio quo monte conferre studebant, hinc definiebant *Νότου Κέρατος* situm: et iniuria Trèvius affirmat (p. 38): 'Le nœud de la question est au Théon Ochema': contrarium verum est et ex eo pendet tota quaestio, ubinam Noti Cornu situm fuisse arbitremur: quo constituto reliqua facili negotio diiudicabuntur. Dolendum vero iterum nobis est, quod veterum testimonia auxilium nobis non ferunt, cum duobus tantum locis Strabonianis *Νότου Κέρας* omnino commemoretur, qui nil cum Hannonis periplo commune habent. Ne quis forte animum inducat, duo haec cornua iungenda esse, affero ea Strabonis verba, quibus XVI 4, 15 p. 774 C. Arabici sinus descriptionem ad finem adducit: *Εἰσὶ δὲ καὶ στῆλαι καὶ βωμοὶ Πυθολάου καὶ Λίχα καὶ Πυθαγγέλου καὶ Λέοντος καὶ Χαριμόρτου κατὰ τὴν γνώριμον παραλίαν τὴν ἀπὸ Δειρῆς μέχρι Νότου Κέρως, τὸ δὲ διάστημα οὐ γνώριμον.* Eodem spectant quae leguntur XVI 4, 14 p. 774 C.: *Καὶ τελευταῖον ἀκρωτήριον τῆς παραλίας ταύτης τὸ Νότου Κέρας. Κάμψαντι δὲ τοῦτο ὡς ἐπὶ μεσημβρίαν οὐκέτι, φησίν* (sc. *Ἀρτεμίδωρος*), *ἔχομεν λιμένων ἀναγραφὰς οὐδὲ τόπων* e. q. s. Itaque nec haec nec quae Ptolemaeus (IV 7, 11) de eodem orientalis orae termino meridionali servavit, ad nostram rem faciunt. In tanta autem subsidiorum penuria, cum Hannonis ipsius mensuras mancas esse viderimus, nil relinquitur, nisi ut secundum solam probabilitatis speciem litem componamus: quod si mihi concesseris, idem lubenter concedes, quae adhuc a viris doctis prolatae sunt opiniones non nimis probabiles esse[1]). Ut enim primum omne praesidium eis eripiam:

---

tionem quae est de Theon Ochemate ab interpolatore intrusam esse censuit, inde ortam, quod quae de Fortunatarum insularum summo vertice (*Pico de Teide*) veteribus nota erant falso ad occidentalem oram translata essent.

1) Cum res summi momenti sit, non omiserim quae hucusque a viris doctis prolatae sunt sententias congerere: Gosselinius (p. 94), Lelewelius (p. 88), Humboldtius, *kr. Unters.* I 559 Hannonem pervenisse statuerunt usque ad promunturium *Bojador*, ad Gambiam fluvium usque Benickenius (cf. *Ersch. et Grub. encycl.* II 2, p. 178); Heerenius (II 2, 718) et Forbiger (II 881) Noti Cornu composuerunt cum hodierno *Cap Roxo*; *Sierra Leone* promunturium ei respondere opinabantur Klugeus (ed.) et Peschelius (l. l. p. 23); Ukertus (I p. 66),

quamquam unusquisque insolenter id gloriatur, reapse tamen contigit nemini, ut insulam reperiret Hannoneae prorsus similem, nec ulla spes est, fore ut inveniatur. Ego certe hac quidem in re totus subscribo eis quae Trèvius (l. l. p. 41) posuit: 'C'est d'ailleurs vainement que l'on rechercherait ces accidents dans des estuaires qui même, depuis des temps peu éloignés, sont devenus méconnaissables. D'après Matthews, cité par Elisée Reclus, on observerait sur la côte de Sierra-Leone de nombreux indices d'affaissement du sol. D'anciennes îles de l'estuaire des Scaries se trouveraient maintenant changées en bancs de sable sous quatre mètres d'eau; l'emplacement d'un fort bâti par les Portugais, à dix km. de la rive, dans l'estuaire de la rivière de Sierra-Leone, se serait enfonçé à plusieurs mètres sous les eaux!' Ut videas, quo perveniamus, si isto tantum argumento nitamur, quasi in transitu moneo, optime ex hodiernis insulis Hannoneae respondere quae nunc audiunt *Is. de Los*, quas hisce depingit *the Africa pilot*: 'Tamara island, the westernmost and largest of the group, . . . is thickly wooded, 5 miles long and about a mile in breadth, its curved form adds to the shelter it affords to the anchorage on the east side. Factory island, the easternmost of the group is $4^1/_2$ miles in length . . and in some places not more than a quarter of a mile across, it is concave on its western side, and forms the eastern limit of the anchorage. Rooma or Crawford island is about a mile long in an east and west direction and lies nearly in the middle of the space enclosed by Tamara and Factory islands'. Adde, quod a promunturio *Verde* accurate 7 dies distant hae insulae: itaque si eadem via progredi vellem qua ceteri, tutissimum haberem, quo me reciperem, refugium. Sed nolo ita argutari! Accedunt autem duo quibus recentiorum sententiae infringantur argumenta: ac de mensuris quidem ipsis quantopere recedant ab Hannoneis, quid opus est multa verba facere, cum ipsi qui verum fatentur viri docti

---

Kannegiesser (cf. *Ersch. et Grub. encycl.* p. 180), Mueller (p. 13), Vivienus de St. Martin (p. 332), Meltzer (p. 245), Paulitzschkius (p. 11), Bunburyus (p. 326), Trèvius (p. 41), alii pro Noti Cornu habuerunt *Sherboro* sinum. Robiou (l. l. p. 210) ad *Monroviam*, *Liberiae* oppidum, Carthaginienses provectos esse credidit. Mannertus (I 2, p. 48) et Bougainvillius (l. l. p. 25) *Cap Three Points* idem esse censuerunt atque Hannonis *Νότου Κέρας*. Denique Entzius (l. l. p. 47) meridionalem itineris Hannonei terminum esse existimavit hodiernum sinum de *Benin*, Mer (p. 53) et Scharnickius (p. 398) *Calabar* fluvii ostium.

libere id concedant? Eo magis autem spero veniam dabis, si singulas istas minutias, quibus quisque hanc difficultatem tollere studet, non in examen vocabo[1]). Restat gravissimum: id enim salva eorum auctoritate quaesiverim ex nostri saeculi interpretibus, quanam causa Hannonem motum esse credant, ut unum alterumve ex orae *Liberianae* vel *Senegambiae* inferioris[2]) promunturiis portubusve *Νότου Κέρας* vocaret? Non desunt, qui dicant, in hoc maris tractu mutari fluctuum vim atque impetum[3]): attamen hoc nihil esse luculentissime demonstrant quattuor tabulae, quae delineantur in clarissimo illo libro qui inscribitur *Segelhandbuch für den atlantischen Ocean, herausgegeben von der Direktion der deutschen Seewarte* 1885 p. 24: nam qui a promunturio *Spartel* occiduam Libyae oram prosecutus erat aquarum torrens, prope promunturium *Verde* eam derelinquit ad occasum se convertens, cum bracchium quoddam eius fluenti, quod orientem petit, septentrionem versus paullulum ascendens litus usque ad hodiernum *Cap Palmas* consectetur[4]). Nonnulli vero eo procedunt, ut Noti Cornus nomen ideo excusari opinentur, quod *Sherboro* sinus Hannonis insula meridiem versus claudatur: 'Le cap Sainte-Anne', inquit Trèvius p. 41 — 'prolongé à l'ouest par les îles Tortues, qui paraissent en avoir été détachées, limite assez l'estuaire du Sherboro dans le sud, pour lui avoir mérité la désignation de Corne du Sud'. Plerisque haec res cordi omnino non erat, uno excepto, qui eo maiore laude dignus est, etiamsi ad verum non pervenit finem: scilicet Robiou in epistula ad Merium data (cf. p. 153 adn. 1) scripsit de hac quaestione: 'c'est une considération qui, il m'en souvient, m'avait beaucoup frappé en 1859 quand je rédigeais le travail publié peu après dans la Revue archéologique'. Itaque re in omnes partes diu multumque considerata denique in eo substiti, ut intellegerem vel ut modestius loquar, mihi viderer intellegere, Hannonem aliud promunturium *Νότου Κέρας* appellare non potuisse nisi hodiernum *Cap Palmas*[5]): hic ora in contrarium circumflectitur, hic ex Han-

1) Perlegas quibus argumentis alius alium impugnet apud Merium (p. 152 sq.), Goebelium (p. 54), Trèvium (p. 44).

2) Nam has tantum regiones in iudicium venire non est, cur moneam.

3) cf. Rennell p. 704.

4) cf. Jarz, *die Strömungen im nord-atlantischen Ocean* 1877 p. 12.

5) cf. de huius promunturii vicinia eam commentationem, quam Schoenleinius inseruit *ann. soc. geogr. Berol.* vol. X.

nonis opinione terminari debuit meridionale Libyae litus, quod coeperat ab Hesperio promunturio. Atque iure etiam ea re niti licet, quod maris fluenta ad ipsum *palmarum* promunturium gravissimam subeunt mutationem, id quod disco ex hisce maritimi illius libri (p. 396): 'Das Fortschreiten der Schiffe auf dem Wege nach Süden vom Nordostpassat- zum Südostpassatgebiet ist demnach gewöhnlich von einer Änderung der Stromrichtung von Südwest (im Nordäquatorialstrom) durch Südost (Liberiaküste) und Nordost (Golf von Guinea) nach Nordwest (im Südäquatorialstrom) begleitet'[1]). Denique quae hodie promunturio *Palmas* sola obiacet *Russwurm* island, ut Buettikofer, quem per litteras adii, benigne mecum communicavit, lacum quidem continet, alteram insulam non; sed quid de hac re sentiam, superfluum est repetere.

Haec si recte exposuimus, sua sponte inde consequitur, cuinam loco Theon Ochema mons assignandus sit. Quae de eo veteres narrant, aut aperte falsa sunt aut ambigua: duos Plinii locos supra commemoravimus; qui restat (II 2, 38) plane inutilis est. Dein de Melae relatione item res transacta iam est. Denique neque Ptolemaei notae, quae mira laborant in his regionibus perturbatione (IV 6, 9), lucem quaestioni affundunt neque geographus Ravennas, qui (p. 8. 2) montes exhibet iuxta oceanum sitos, qui ardere ascribantur. Itaque eam ingrediamur viam quam multo usu experti fere sequi solemus et Hannonem solum ducem sequamur. Linteis autem retro datis si a *palmarum* promunturio per tres dies revehimur, naves constituuntur haud procul ab hodierno promunturio *Mesurado*. Iam vero obiciat fortasse quispiam, montes altos ibi mari non appropinquare: cui offensioni etsi perfacile possim occurrere — nam Buettikofer, qua est humanitate, certiorem me fecit, ipsum *Cap Mesurado* prae ceteris eius orae montibus propter singularem suam formam speciem 'currus' veteribus nautis praebere potuisse —, tamen alio nunc animus inclinat: nimirum in ipsa promunturii *Mesurado* vicinia ex alto prospiciuntur montes mediterranei: 'The high land in the interior', ait *the Africa pilot* (p. 209), 'is visible from a considerable distance and is the first seen when approaching the coast from the north-westward', et infra (p. 212): 'inland from it' (intellege illud promunturium, cui nomen est *Bassa Point*) 'distant 10 miles and bearing N.-E. by E., there is a remarkable

1) cf. *Pil. Portogh.* ap. Ram. p. 200.

hill named the Saddle, which rises 1070 feet above the sea, and appears to be the western extremity of a range of high land, extending 24 miles in a south-east direction to mount St. John'. Idem testatur Reclusius (p. 372): 'au-delà' (dixerat ante de *Mesurado* promunturio) 'on voit se profiler dans l'intérieur une chaine de collines, atteignant 335 m. au point le plus élevé, dit Table-mountain, plus loin, à l'est de la baie de Grand-Bassa, se montre la pointe de Tobacco-mountain' e. q. s. Huc igitur refero Hannonis narrationem. Simul id ex disputatione mea, opinor, colligitur, qui illius phaenomeni natura Hannonem fugere potuerit, quod permirum sane foret, si revera Theon Ochema et qui ei vicini erant montes ex tam parvo vidisset intervallo. Cum vero haud scio, an sententia mea firmetur ea re, quod in Portugallorum charta nautica anno 1508 publicata, quae etsi artissimis vinculis cum Ptolemaeo cohaeret, tamen saepissime in oris depingendis eius rationes aspernatur, ipsis his montibus 'Theon Ochema' nomen adscribitur[1]), tum ut omnis dubitatio mihi quidem tollatur, faciunt quae Petrus de Cintra, alter ille medii aevi Hanno renuntiavit de ipsius *Mesurado* promunturii regione, cum alioquin similia apud eum non legantur (cf. *Ram.* p. 200): 'e in questa parte videro molti fuochi, quella prima notte, su per gli arbori e per la spiaggia, fatti dalli Negri quando ebbero la vista di questi navilj, mai più da loro veduti'. Eadem igitur res eodem loco et Hannonis et Petri de Cintra animum in se convertit: veram eius causam cognoverunt Portugalli, non cognoverant Carthaginienses.

Quae cum ita sint, non dubito, hunc montium tractum eundem putare atque Hannonis Theon Ochema, huius Noti Cornu idem atque promunturium *Palmas,* cui appositae erant Gorgades insulae: ita enim confidenter cum Osannio l. l. p. 548 scribo. Ceterum simiarum illa species non erat ea, quae vocatur *Orang-Utan* (cf. *Mueller* p. 13/14); ab his enim haec terra non infestatur: incolitur potius ab eis quae dicuntur *Schimpanses*[2]).

Sed haec hactenus de ratione itineris Hannonei! Quod si totum animo contemplamur, habuimus usque ad Hesperium promunturium 35 dies navigationis; hinc series locorum haec est:

---

1) Inserta invenitur haec charta Leleweli operi illustrissimo, quod inscribitur *géographie du moyen-âge* pl. 43. cf. v. II p. 145 sqq.

2) cf. Peschel p. 23 a. 4. Buettikofer I p. 256. Reclus XII 307. 380.

	Cod.	nos	summa
Inde a promunturio Hesperio praeternavigatio regionis suffimentorum plenae dies	—	10	45
Hinc ad Theon Ochema montem „	4	4	49
Inde ad Noti Cornu „	3	3	52

Calculis igitur subductis idem efficitur numerus, quem Mueller (*prol.* p. XXIV) computavit, quamquam singulae eius rationes mirum quantum a nostris distant. Felicius autem, spero, quam ille iter confeci neque quidquam inesse explicationi meae puto, quod non magna videatur probabilitate commendari. Quod debemus Hannonis potissimum ἀκριβείᾳ, quae in ordine narrationis perspicua et in locorum regionumque nominibus, situ, ambitu, distantiis accurate definiendis posita praecipuam geographi laudem constituit, ita ut vera cum gloria de eius narratione praedicet Bunburyus (p. 322): 'Their simplicity and clearness, when considered alone, will indeed be found to present a striking contrast to the confusion in which they are involved in the hands of later geographers.'

Paucissima, quibus tota haec disputatio suppleatur, supersunt. Non enim ab instituto nostro alienum erit, curatius tractare qui praeter Hannonem de occidua Libyae ora egerunt quique aetatem tulerunt scriptores: Scylacem, Plinium, Ptolemaeum: nam Ravennatis Cosmographiam (III 11) et itinerarium Antonini (p. 3) quippe quae ultra Sala fluvium non multum procedant meo iure neglegam.

Qui vero primus collaudandus mihi venit Scylax (§ 112) narrat, in mare exterum navigantibus occurrere peramplum sinum Cotes appellatum, qui pertineat usque ad promunturium Hermaeum, quod ipsum duorum dierum navigationem distare ait ab Herculis columnis: in medio sinu esse Pontion urbem, cui adiacere Cephesiadem lacum. Iam vero exploratissimum est, Hermaeum promunturium quaerendum esse inter hodierna flumina *Ikken* et *Cherrat*, ubi altissimorum montium radices propius ad mare accedunt: 'c'est à partir de l'oued Ikkem, du reste, que la route du littoral devient dangereuse: les hauteurs qui la dominent se rattachent, comme nous l'avons dit, aux montagnes berbères (cf. Tissot p. 282[1])).

1) Accuratissimam tabulam adnexuit Beaumier commentationi suae, quam inscripsit: *itinéraires de Tanger à Mogador*: cf. *bull. d. l. soc. d. géogr. de Paris* 1876 p. 241.

Neque etiam de reliquorum interpretatione habeo, in quo discrepem a Moversio (II 2, 540) et Muellero (p. 91), qui Cephesiadem lacum rettulerunt ad eam paludem, quae hodie audit *Merdja Ras ed-Dura.* Meum solum est, paucis refutare qui oblocuti sunt Vivienum de St. Martin (p. 351 sqq.), Tissotium (p. 195 sqq.), Goebelium (p. 10), qui Cephesiadem lacum extitisse quondam putant, ubi nunc sunt campi lutosi (*bas-fonds*) fluviorum *Mharbar* et *Tahaddert*, cum Hermaea ἄκρα eis sit *Ras el-Kouas*, 20 m. p. a promunturio *Spartel* dissitum. Attamen anceps esse non potest iudicium, cum duplex in his lateat error: nam neque bidui iter iste locus distat a *Cap Spartel* neque tridui a *Cantin* promunturio[1]). Quod si quis concesserit, habebit, cur quae iidem de Scylacis sinu protulerunt reiciat: melius, opinor, argumentabimur, si e Scylacis numeris id eliciemus, Cotes sinum porrigi inde ab Ampelusia promunturio usque ad Hermaeum, quod non mirabitur, qui meminerit, quantopere veteres saepius sinus nomine abutantur[2]). Nihil aut non multum certe a Scylace differunt Strabo (XVII 3, 2 p. 825 C) et Plinius (V 1, 9), quorum ille *Ἐμπορικὸν κόλπον πρὸς νότον τῷ Λίξῳ καὶ ταῖς Κώτεσι παρακείμενον* facit, hic *Sagigi* sinum (ita Leid. cett. *Sagici*, *Sagaci*, *Sagyzi*, *Saguti*) a Lixo incipientem: utrique nomini eandem vim esse primus Bochartus perspexit (p. 644), cui assentiebantur Moversius (II 2, 540), Mueller (p. 92), Tissotius (p. 230). Finem eius Ptolemaeus (IV 1, 2) sub 34° 10′ ponit post Suburis, ante Salatis ostium. Restat Pontion urbs in medio sinu sita[3]): cave igitur ne eam situ respondisse credas Hannonis Thymiaterio (cf. *Mueller* p. 91. *Mannert* X 2, 470); nam haec colonia proxima fuit meridionali sinus termino; Scylacis oppidum ei attribuendum est loco, quo hodie invenitur *Ain-bu-Ali* vicus.

Qui vero deinceps sequitur apud Scylacem Anides fluvius vel nominis similitudine non diversus esse demonstratur a Plinii (V 1, 9) Anati flumine, quod indigenarum voce (cf. Plin. V 1, 13) Ptolemaeus (IV 1, 2) Asanam (fuitne Anasam?[4])) nuncupat; distat a Sala 150, a Lixo 205, ab Atlante 496 m. p.: quae tres mensurae aperte nos ducunt ad hodiernum *Um er Rbia*, quem Tissotius, qui de Anide

1) cf. Mueller ad Ptol. IV 1, 2 p. 574.

2) cf. Mueller ad Ptol. IV 1, 2 p. 575.

3) Quae de hac Mueller docuit ad Ptol. IV 1, 2 p. 576 minus mihi probantur.

4) quod suspicatus est Curtius Wachsmuth, praeceptor optimus.

falsissimum iudicium tulit (p. 199. cf. *Vivien de St. Martin* p. 352/53), ita describit (p. 237): 'L'Oum er-Rbia ,la mère des pâturages' est, après le Sbou, le cours d'eau le plus considérable du Maroc. Son large estuaire, ensablé aujourd'hui à la barre, mais encore profond de 20 brasses sous les murs d'Azemmour, justifie la description de Pline: marino haustu, sed portu spectabile.' De Lixo nulla controversia est, quin sit hodiernus *Ued el Kus*, qui ipsum nomen per tot saecula ad hunc usque diem servavit. Quocum bene conciliatur, quod a Lixo meridiem versus ponuntur Crathis fluvius et Thymiateria urbs. Jam vero quis non animadverterit, eandem orae regionem quam modo persecutus erat iterum persequi Scylacem? Nam Lixus a Cephesiade lacu septentrionem versus exit, Crathis et Thymiateria ab Hermaeo promunturio ad septentrionem sunt. Vides igitur, me adstipulari ei sententiae, quae primum auctorem habuit Carolum Mueller (p. 91), quamquam, sicuti infra apparebit, aliam ex hac observatione faciam conclusionem: Vivienus de St. Martin (p. 352 sqq.) et Tissotius (p. 195 sqq.) vanis argumentis Scylacis locorum ordinem defendere studuerunt. Si vero nunc quaerimus, quaenam erroris causa Scylaci extiterit, mihi longe secus videtur ac Muellero. Qui inde natam esse censet confusionem, quod in Scylacis fonte post Anidem fluvium mentio iniecta fuerit eius Lixi, qui ad *Saharae* initium eructet: ex ordine igitur enumerari Cephesiadem lacum, Hermaeum promunturium, Anidem fluvium, Lixum; unde ineptissime Scylacem revertisse ad eum Lixum, qui non ita longe a freto Gaditano absit. Attamen facili opera haec stare nequire intellegitur. Non potuit enim Anidem excipere meridionalis ille Lixus: immo laudanda erat antea et laudabatur certe — nam prima tertiaque narrationis pars arte vel distantiarum numeris iunctae sunt — *Ἑρμαία ἄκρα*. Praeterea id satis videtur memorabile, borealem quidem fluvium audire Lixum, meridionalem, si recte Scylacis verba emendavimus, Lixionem; itaque fieri non potuit, ut auctoris oculi ab altero ad alterum aberrarent. Equidem hanc proposuerim explicationem: enumerantur in itinerario Antonini haece mansiones (p. 3 ed. Parth. et Pind.):

A Mercurius Sala	mpm.	XVI.
Thamusida	„	XXXII.
Banasa	„	XXXII.
Frigidis	„	XXIV.

Lix colonia	mpm.	XVI.
Tabernis	„	XVI.
Zili	„	XIV.
Ad Mercurios	„	VI.
Tingi colonia	„	XVIII.

Atque de priore illa exploratione ad Mercurios, quae a Sala urbe abest XVI m. p. supra vidimus (cf. *Tissot* p. 282). Cognominis viculi ruinas prope hodiernum *Dchar Djedid* non procul a Zili urbe in colle cui nomen est *El Garbiya* detexit Tissotius (p. 268/69). Ergo percommode quod in meridionali orae tractu factum est transferemus ad borealem et statuemus, quod proxime illam stationem excurrit promunturium (cf. *Tissot* p. 196, *Vivien de St. Martin* p. 352) a Mercurio nomen accepisse: a septentrionali igitur Hermaea *ἄκρα* proximus erat Lixus fluvius, ab australi Anides; Scylax qua erat festinantia eas confudit atque hinc omnis perturbatio orta, quam ipse sensisse videtur, cum post Thymiateriam urbem iterum in Hermaeum promunturium incideret. De Soloente vero non habeo quod addam eis, quae supra exposuimus, idemque cadit in Lixionem flumen et Cernen insulam; quae deinceps sunt ultra Cernen, navigari non amplius posse propter brevia maris et algas legimus neque est, cur cum Muellero putemus, simulasse hoc Scylacem, quippe cum ad ea devenisset, quorum nullam habuisset cognitionem: nam reapse algae ibi Libyanae orae appropinquant (cf. *Peschel, Gesch. d. Erdk.* p. 25 adn. 3. *Humboldt, krit. Unters.* II p. 65 sqq. *Muellenhoff* I p. 78).

Tantum de Scylace; accedo ad Plinium! Qui post columnas Herculeas sitas fuisse dicit Lissam et Cotten urbes. De hac non dubitatur, etiamsi alioquin Cotes aut sinus est (cf. Scyl. 112) aut extremum Mauretaniae promunturium (cf. Ptol. IV 1, 2): videlicet viculus erat non longe a cognomine promunturio dissitus (cf. *Tissot* p. 187); de illa quoniam nondum recte iudicarunt viri docti copiosius disputandum est. Circumspicientibus autem nobis, quinam huc referendi sint veterum auctorum loci, primus occurrit Strabo, qui XVII 3, 2 p. 825 C ita loquitur: ***πλησίον δὲ ταῖς Κώτεσι πολίχνιον μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης, ὅπερ Τρίγγα*** (***Τρίγκα*** E. ***Τίγγα*** edd. ante Cram.: ***Λίγγα*** coni. Wilmannsius in C. I. L. VIII p. 855 perperam) ***καλοῦσιν οἱ βάρβαροι, Λύγγα δ' ὁ Ἀρτεμίδωρος προσηγόρευκεν, Ἐρατοσθένης δὲ Λίξον· κεῖται δ'***

ἀντίπορθμον τοῖς Γαδείροις ἐν διάρματι σταδίων ὀκτακοσίων, ὅσον ἑκάτερα διέχει τοῦ κατὰ τὰς Στήλας πορθμοῦ. Eodem pertinet quod Strabo XVII 3, 8 p. 829 C exhibet: *Ἀρτεμίδωρος δ' Ἐρατοσθένει μὲν ἀντιλέγει, διότι Λίξον τινά φησι πόλιν περὶ τὰ ἄκρα τῆς Μαυρουσίας τὰ ἑσπέρια ἀντὶ Λυγγός.* In duobus his locis Strabonianis duo sunt, quibus offendor: primum id non capio, quomodo una eademque urbs et prope Cotes promunturium esse potuerit et octingenta stadia distare ab Herculis columnis. Dein latet, quo iure Strabo parvulum oppidum Lixum nominaverit; nam temere agat, qui id dictum esse autumet de ea urbe, quae Lixi ostio adiacebat: quae et vetustis temporibus insigni fuisse videtur magnitudine (cf. Scyl. § 112) et Romanorum aetate magnopere floruisse (cf. Plin. V 1, 3. Solin. 243. Itin. p. 7). Quam difficultatem Barthius (*Wanderungen* I p. 19. 49), cuius vestigiis institit Mueller (ad. Strab. p. 701. 5. ad Ptol. IV 1, 2 p. 573), ita removere studuit, ut *Τρίγξ* in Tingi oppidi variis nominibus haberet. At quaenam hinc nobis efflorescat utilitas non assequor; nam neque alterum illud nomen neque distantiarum nota ad hodiernam *Tanger* quadrant. Quodsi vero Tissotius (p. 204) id verisimillimum duxit, Punicum nomen *Λίγξ* berberice dictum esse *Τλίγξ*, hanc autem formam abisse dein in Eratosthenicam illam *Τρίγξ*, post ea quae supra monui eum impugnare supervacaneum est. Equidem ad hoc auxilium descendo, ut contendam, Strabonem duo oppida confudisse, quod vitium saepe commisit Amasensis, non vero Lixum occidentalem et Tingi, sed illam cum cognomine urbe perparva, quae ad Cotis promunturii radices sita erat: ita optime explicantur et Strabonis duo illi loci et Plinianus modo laudatus, optime denique etiam Stephani Byzantii duae glossae, quarum altera legitur sub lemmate *Θρίγκη*, ubi haec: *Θρίγκη πόλις περὶ τὰς Στήλας. Ἑκαταῖος Ἀσίᾳ*, altera sub voce *Θίγγη*, ubi scriptum est: *Θίγγη, πόλις Λιβύης. Ἑκαταῖος περιηγήσει.* Hecataei *Θρίγκη* manifesto non diversa est ab ea urbe, quam barbaros *Τρίγγα* vocare Strabo testatur; itaque vulgo eadem habetur atque hodierna *Tanger*; cum vero haec aperte significetur altero quoque illo fragmento (cf. Mela I 5, 26. Strabo XVII 3, 6. Plut. Sert. 9. *Forbiger, Hdb.* II 874/75. *Wilmanns* C. I. L. VIII 854), aut Hecataeo opprobrio dant, eum duas eiusdem nominis formas in duo oppida male distraxisse (cf. *Meineke edit.* p. 318, 5. *Mueller* ad Ptol. IV 1, 2 p. 574), aut Thingen nomen saepius in Libya obvium (cf. *Mueller* ad Ptol. IV 1, 3

p. 580) ad ignotam aliquam Libyae urbem revocant. Neutrum mihi probatur. Immo reddamus Hecataeum immerito crimini exemptum suo honori; nam optime *Θίγγην* appellavit hodiernam *Tanger*, *Θρίγκην* veterum Lixum urbem Cotibus ipsis adiacentem, quod oppidulum, Strabonis iam aetate exigui momenti et ignobile, Plinii temporibus prorsus interisse videtur; aliter enim hic non dixisset: 'fuerunt ultra columnas Lissa et Cotte urbes'. Cum huius autem sententiae probabilitate haud scio, an proximo vinculo alius rei quamvis dubia memoria coniuncta sit, ad quam nunc paucis transeo. Erat fabula notissima, Tingi aedificatum esse ab Antaeo (cf. Mela I 5, 26. Plin. V 1, 2. Plut. Sert. 9) vel a Sophace filio Herculis et Tingis mulieris, Antaei quondam uxoris (cf. Plut. l. l.; cf. *Movers, Phoen.* II 2, 536). Iam vero, cui non admodum mirum videtur, quod Antaei sedes et a Plinio (V 1, 3; XIX 63) et a Strabone (XVII 3, 8 p. 829 C; cave enim, ne cum Grosskurdio III 422, Forbigero II 875, Wilmannsio l. l. *Λιγγὶ* mutes in *Τιγγί*) ad occiduae orae Lixum transferuntur? Cuius rei quaenam praecipua causa fuerit, nobis in promptu est conicere: scilicet cum Lixus septentrionalis, cui propinquum etiam est vastum Antaei antrum (cf. *Barth, Wanderungen* I p. 13), magis magisve in dies attenuata denique ex hominum conspectu abisset, posterioris aetatis geographi, qua erant stultitia, deletae huius urbis inscii quae de illius vicinia fama narrata erant non dubitanter ad Lixum fluvium et quod eius ostium tenebat oppidum reiecerunt, et huc migravit etiam Antaei specus, quod a Mela recte ponitur ad Ampelusiam promunturium (cf. I 26).

Sed diutius quam vellemus huius loci interpretatio nos tenuit; itaque ocius revertamur ad Plinium. Cum vero quae deinceps apud eum commemorentur maximam partem constent, par videtur et tutius, perpaucis defungi in re eiusmodi, in qua ut fueris longior tamen non multum profeceris: Tingi est hodierna *Tanger* (cf. *Tissot* p. 180. *Vivien de St. Martin* p. 133. 349), Zulil *Azila* (cf. *Tissot* p. 200. *Vivien* p. 349/50), Lixus *El Araisch* (cf. *Tissot* p. 203 sqq. *Vivien* p. 353/54). Quod proximum est oppidulum Mulelacha, situm in promunturio inter Lixum et Sububam fluvios, quaerendum est in *Moula Bou Selham* vico: 'La pointe de Moula est le seul accident que présente le littoral entre El-Araich et l'embouchure du Sbou, le seul point, par conséquent, qui satisfasse à l'indication de Pline' (cf. *Tissot* p. 221. *Vivien* p. 356). Nec minus certa res est de Sububa et Salat fluminibus: 100 m. p. a Lixo abest hodiernus *Bu*

Regreg (cf. *Tissot* p. 231. *Vivien* p. 355); quod vero Plinius Sububam medium ponit inter Lixum et Salat, cum Ptolemaei notae (IV 1, 2) optime respondeant praesenti rerum naturae, hic error inde deducendus mihi videtur, quod *Sebu* sinuosus flexibus pervagatur campos, ita ut Banasam coloniam praeterfluens reapse a Lixo distet 50 m. p.

De Anati supra iam dictum est; ab eo XIX m. p. ducunt ad hodiernam *Masagan*[1]), quacum Plinii Rutubin componas; apud Ptolemaeum (IV 1, 2), ut passim, sic hoc quoque loco duorum nominum ordo inversus est. Dein a Soloente promunturio meridiem versus ponitur Rhyssadir portus, quem non diversum esse ab *Agadir* urbe haud improbabiliter coniecit Tissotius (p. 255). Qui sequitur Quosenus fluvius, me quidem iudice nulla est controversia, quin idem sit atque *Ued Sus*[2]), nec minus certum, Masathat flumen quaerendum esse in hodierno *Mesa*[3]). De Darate denique Vivienus et Tissotius recte iam iudicarunt. Restat ut pauca de eis notis proferam, quae indigenis tribuuntur apud Plinium (V 13). Atque primum quidem quod a Salate fluvio ad Asanam CL m. p. computantur, hinc perspicuum fit, iustis multo maiores esse illorum mensuras: itaque nil mirum quod inter Fut flumen et Atlantem montem intercedere videmus CC m. p.; nimirum, sicuti evincitur collatis Ptolemaei tabulis (IV 1, 2), illud est *Ued Tensift*[4]), hic referendus ad promunturium *Gir*. Medius autem inter utrumque egreditur Ivor fluvius, qui nescio an intellegendus sit hodiernus *Ued el Kseb*, quem solum inter Tensift et Sus flumina non spernenda esse magnitudine constat[5]).

Adflictiore condicione sunt quae adnectit Plinius: inducitur sinus DCXVI m. p. Dubitantes nos de hac re et quo nos convertamus circumspicientes ad se vocat Ptolemaeus (IV 6, 2), cuius Ἑσπέριος κόλπος initium capiens 4 gradus meridiem versus a Darate flumine, circuitum habet 250 m. p., ostium 215; itaque

1) cf. Vivien p. 360. Tissot p. 237.

2) Vivieni *Ued Ghissèr* (p. 371) e tabulis hodie omnino evanuit.

3) Plane perversa de eo est Vivieni sententia (p. 373), cum Tissotius (p. 255) iudicium de his omnino cohibuerit.

4) cf. Vivien p. 362. Tissot p. 252.

5) Lapsi sunt Vivienus, qui inter Fut Anatimque fluvios Ivorem interposuit, et Mueller (ad Ptol. IV 1, 2 p. 579), quem ideo opinio fefellit, quod Atlanti hoc loco respondere sumebat promunturium *Nun*.

admodum probabilis fit Muelleri coniectura, qua (ad Ptol. p. 733) eundem hunc numerum CCXVI m. p. Plinio reddidit. Cur vero postquam hoc perspexit Mueller aperta fronte secum ipse pugnans Ptolemaei sinum ad promunturium *Barbas* usque pertinentem fecerit, non liquet et haud absimili modo me fugit, quanam nixus ratiocinatione Ptolemaei *Στάχιρα* Pliniique Salsum cum hodierno *Senegale* composuerit. Si, ut flagitant Ptolemaei notae, aliquantum spatii progrediamur, pervenimus in eam regionem, ubi revera inter hodierna promunturia *Juby* et *Bojador* ora magnum efficit curvamen, cuius ambitus a Plinii Ptolemaeique numeris haud quaquam discrepat. Itaque aliqua certe cum confidentia affirmo, huc sinus nomen translatum esse a veteribus. Unde concludo, Salsum fluvium quaerendum esse in hodierno *Sakhiet el Hamra:* quae observatio eo nititur fundamento, quod Plinii Salsum et Ptolemaei *Στάχιρα* componendos esse felici qua pollet sagacitate detexit Mueller[1]); utraque enim voce (quae quo iure huius orae fluminibus indatur, ostendit Quedenfeldtius[2]) idem videtur significari; *Στάχιρ* autem sub eodem fere recensetur gradu, quo ipsum sinus caput. Quae vero agmen claudunt apud Plinium non solum precaria, sed plane inutilia et abicienda esse, supra, spero, tibi persuasi.

Bene pol factum esse in tanta rerum iniquitate dixeris forsitan quod Ptolemaeus laborantibus nobis opem ferat. Attamen ut et breviter et graviter dicam, adeo non eius opera certum fundamentum quo tuto confidas paratum est, ut multa insint in eius tabulis aut a probabilitate omni aut ab ipsa veritate aliena. Ac primum in universum haec praemiserim[3]): cum revera ora a promunturio *Spartel* usque ad *Cap Verde* per 12 longitudinis gradus occidentem versus tendat, hinc demum ad orientem se convertat, in Ptolemaei descriptione ab ipso *Spartel* promunturio orientem versus deflectit neque tamen longe recedit a recto itinere. Neque vero solus orae cursus a Ptolemaeo falsissime delineatur, sed etiam singulae distantiae incredibilem in modum vitiosae sunt. Atque levioribus quidem mendis inquinatur orae Mauretaniae, quae proprie dicitur, delineatio (ca. 4800 stadia apud Ptolemaeum: 4200 nobis), etsi cum

1) ad Ptol. IV 6, 2 p. 733.
2) *Zeitschr. d. Berl. Ges. f. Erdk.* 1887 p. 427.
3) cf. Mueller ad Ptol. IV 6, 1 p. 729 sqq.

ab eodem meridiano fere non recurrat qui inde efficitur error 3⁰ 25′ est; nam qui inter Cotes promunturium et Atlantem maiorem intercedunt 9⁰ 25′ (= 7⁰ 42′) respondent revera 6⁰ 12′ (= 5⁰ 10′ nobis). Quamquam vero hinc non potuit non aut ambiguitas aut error quibusdam in locis oriri, multo gravius tamen et quod omnem iustum modum excedat alterum vitium est; interponuntur enim inter Atlantem maiorem, hodiernum promunturium *Gir* (26⁰ 30′), et Daratem fluvium (15⁰) in Ptolemaei tabula 11⁰ 30′ (= 9⁰ 35′ nobis), cum vera distantia sit 2⁰ 10′. Quaeritur, undenam tanta confusio nasci potuerit. Mueller (ad Ptol. p. 730) causam erroris ex Fortunatis insulis Daratis ostio oppositis, quibus idem accidit, scilicet ut iusto magis meridiem versus removerentur, deducendam esse ratus, profectus est ex eis numeris, quos Plinius (VI 32, 202) e Statio Seboso servavit. Tradidit audax hic nauta, Iunoniam insulam abesse a Gadibus DCCL m. p. (6000 stadia), ab ea tantundem ad occasum versus Pluvialiam Caprariamque, ab eis CCL m. p. (2000 stadia) Fortunatas contra laevam Mauretaniae in octavam horam solis (cf. geogr. Rav. p. 8. 162). Iam vero Ptolemaeus (IV 6, 33) Ἥρας νῆσον τὴν κατ' Αὐτολάλας ponit sub 8⁰ 23⁰ 50′, cum Gades urbs sita sit sub 5⁰ 10′ 36⁰ 10′: intercedunt igitur 12⁰ 20′, qui in eodem meridiano efficiunt 771 m. p. sive 6166 stadia, ita ut reapse eundem fere habeamus numerum, quem Statius Sebosus praebuit. Quae res Muellero ansam dedit, ut Ptolemaeum ita Sebosi notis abusum esse statueret, ut Pluvialiam Caprariamque insulas 750 m. p. intervallo interiecto meridiem versus ab Iunonia collocaret. Quod mihi summopere displicet; nam non solum Sebosus Pluvialam et Caprariam disertis verbis a Fortunatis insulis seiungit, cum Πλουϊτάλα et Καπραρία[1]) inter Ptolemaei Fortunatas medium teneant locum, sed etiam eas non ad austrum sitas facit ab Iunonia illa boreali, sed occasum versus. Haec satis sunto ad refellendas Muelleri suspiciones.

Priusquam vero pergamus, quoniam de ipsis his insulis deque Statii Sebosi itinere quaedam indagare licuit paullo reconditiora, sic paucis accipite!

Rettulit Sebosus, a Gadibus DCCL (6000 stadia) abesse Iunoniam: cuius mensurae si rationem habemus, aperte deducimur

1) cf. Mueller ad Ptol IV 6, 1 p. 730.

ad hodiernam *Madeiram*[1]). Ab hac autem insula DCCL (6000 stadia) computavit ad occasum usque ad Pluvialiam Caprariamque, qua in re vulgo nostrae aetatis viri docti Mannertus (X 2, 625), Lelewelius (p. 137), Forbiger (II 890) aliique permulti usque ad Muellerum (ad Ptol. p. 730) turpiter errasse censent Sebosum: nam inter *Madeiram* et *Canarias* insulas non modo intercedere 300 tantum m. p., sed etiam non ad occasum, immo ad meridiem ortumque solis *Canarias* inde a *Madeira* insula quaerendas esse: cui sententiae se addixit etiam, qui de Seboso singularem commentationem inseruit Bergkii et Caesaris annalibus (*Zeitschr. f. Alterthumsw.* 1852 nr. 3. p. 17 sqq.), Hudemannus. At modo sequamur accurate Sebosi notas, et aut magnopere fallor aut continget nobis, ut ab immeritis recentiorum obiurgationibus eum defendamus. Si enim a *Madeira* insula profecti 6000 stadia ad occasum navigamus, inviti etiam deducimur ad hodiernas *Azoras* insulas vel, ut diligentius rem explanem, in duas saltem ex earum numero, quae Europaeo litori maxime appropinquant, vocatae nunc *Santa Maria* et *San Miguel*. Vide vero sis, num quae posuimus argumentis aliunde sumptis queamus firmare. Atque primum quidem quid sit, quod duas fuisse insulas Sebosus renuntiavit, in propatulo est: videlicet permultae illae insulae quasi natura ipsa in tres dividuntur partes, quarum orientalis duabus eisque maximis efficitur: 'L'archipel se divise géographiquement en trois groupes bien distincts: celui de l'est a la plus grande surface, quoiqu'il comprenne seulement deux îles, San-Miguel et Santa-Maria'[2]). Accedit, quod Portugalli, cum medio fere saeculo XV ad has insulas appellerent, orientales tantum primo reppererunt impetu, occidentales multis demum annis post[3]). Quod dein Sebosus alteram insulam Pluvialiam appellavit, quia aqua ibi non esset nisi ex imbribus, id optime dici de *Azoris* planissimum fit ex hisce Reclusii (p. 27): 'Les pluies, apportées par les grands vents océaniques, sont très abondantes, au moins deux fois plus qu'à Madère; il pleut en toute saison, surtout en hiver, avec les vents d'ouest' e. q. s. Altera insula nuncupabatur Capraria: quid si plane idem nomen (*insula de Cabrera*) a Portugallis XV saec. inditum est orientali *Azorarum* insulae, quae eo

1) cf. Mannert X 2, 625. Forbiger II 892.
2) cf. Reclus XII p. 23.
3) cf. Reclus XII p. 23.

ascripto conspicitur in tabulis illis Medicaea et Catalonica, quae 1351 et 1375 prodiere[1])? Itaque quoniam haec omnia bene congruunt, non nimium audere videbor, cum veteres iam *Azoras* novisse affirmo. Unde non iam mirandum, quod Phoenices quoque eas adiere mercatores, cuius rei certissima documenta extant nummi eorum litteris signati, qui in *Azoris* non pauci inveniebantur[2]). Nolo enim Humboldtio adstipulari, qui eos media demum quae vocatur aetate eo ab Arabibus allatos esse credidit. Sed relinquamus tandem *Azoras* insulas et Plinii locum porro expediamus, ubi ita pergitur: ab iis (scil. Pluvialia Caprariaque insula) CCL (= 2000 stadia) Fortunatas contra laevam Mauretaniae in VIII horam solis vocari Invallem a convexitate et Planasiam a specie; Invallem circuitu CCC p.; arborum ibi proceritatem ad CXL pedes adolescere. Neque verendum est, ne artificiosius videamur quam criticae arti convenientius agere, cum haec Plinii verba foedissimo auctoris errore inquinata esse opinamur; nam sicuti nunc leguntur sanam omnino non admittunt interpretationem. Causam errandi perspicio: tradiderat Sebosus inde a Gadibus usque ad Iunoniam insulam DCCL m. p. esse, hinc ad occasum tantundem ad Pluvialiam Caprariamque, contra ortum versus ab eadem Iunonia CCL ad Fortunatas insulas Mauretaniae oppositas. Quas notas Plinius, qua erat festinantia, in peius ita mutavit, ut Fortunatas a septentrionalibus illis CCL distare proderet, quo absurdius nil potest cogitari. Quod si probas omnia optime fluunt: significantur Sebosi mensuris orientales *Canariarum* insulae, quae reapse CCL stadiis a *Madeira* dirimuntur. Ad has enim deducimur ea quoque re, quod altera Sebosi insula audit Planasia, a specie, ut ait Plinius, cognominata. Qui quid voluerit exprimere, ostendunt ea quibus cognominem depingit insulam ex adverso Corsicae sitam verba (III 80): est enim illa 'aequalis freto ideoque navigiis fallax'. Mea igitur sententia necessarium est, Planasiam orientali *Canariarum* parti tribuamus, quam solam humillimam esse Leopoldus de Buch[3]) testatur: 'Die Inseln (scil. *Fuerteventura* et *Lanzarote*)

---

1) cf. Peschel, *Zeitalter d. Entd.* p. 40 adn. 1. Ruge p. 24.

2) cf. Humboldt, *krit. Unters.* I p. 455. Muellenhoff, *deutsche Alterthumsk.* I p. 90 (adn. ad p. 64).

3) *physik. Beschreibung der kanarischen Inseln* p. 300. cf. Reclus XII. p. 108. 111.

erscheinen überall flach, wenn man eben die riesenmäfsig ansteigenden Inseln Teneriffa, Palmas, Canaria verlassen hat'. Recordamini vero, ut hoc ultimo loco moneam, itinera quae media aetate Arabes fecerint; tum facilius statuetis, utrum verisimilia sint quae posui necne. Perlegatis quaeso mecum haec Minutolii[1]) verba: 'Von Lissabon aus, im Anfang des XII. Jahrhunderts, gelangten die Maghruiner Araber (Almagruinos), auf Entdeckungen ausfahrend, zu den Azoren, dann nach Madeira und endlich, ohne Zweifel durch Strömungen und Winde getrieben, in den kanarischen Archipel und landeten in Fuerteventura oder Lanzarote'. Amplius quod desideres, nihil, arbitror, erit. Verumtamen longius iam *ἔξω τῶν ἐλαιῶν* evagati sumus; itaque tandem aliquando pedem referamus ad Ptolemaeum!

Qui spatium quadruplo, paene quincuplo maius iusto inter Atlantem maiorem et Daratem fluvium interposuerat, cuius ingentis erroris fontem investigare studebamus. Ut vera ratio patefiat, comparemus inter se quae Atlantem maiorem excipiunt fluminum, oppidorum, promunturiorum nomina cum eis, quae antecedunt:

IV 6, 2:			IV 1, 2:		
Σούβου ποταμοῦ ἐκβολαί	*θʹ*	*κεʹ*.	*Σούβουρ ποταμοῦ ἐκβολαί*	*ϛʹ γʹʹ*	*λδʹ γʹʹ*.
Σαλάθου ποταμοῦ ἐκβολαί	*θʹ γοʹʹ*	*κβʹ*.	*Σαλάτα ποταμοῦ ἐκβολαί*	*ϛʹ γʹʹ*	*λγʹ ∠ʹʹ γʹʹ*.
Σάλαθος πόλις	*θʹ γοʹʹ*	*κβʹ*.	*Σάλα πόλις*	*ϛʹ γʹʹ*	*λγʹ ∠ʹʹ γʹʹ*.
Χουσάριος ποταμοῦ ἐκβολαί	*ιʹ*	*κάʹ γοʹʹ*.	*Κούσα ποταμοῦ ἐκβολαί*	*ϛʹ γοʹʹ*	*λβʹ ∠ʹʹ δʹʹ*.
Σολοεντία ἄκρα	*θʹ ∠ʹʹ*	*ιζʹ ∠ʹʹ*.	*Ἡλίου ὄρος*	*ϛʹ ∠ʹ δʹʹ*	*λαʹ δʹʹ*.

Sed licet ulterius progrediamur! Qui illic vocatur *Ὀφιώδης ποταμὸς* non diversus esse videtur ab eo, qui hic audit Fut: nam quod in eius parallelo inter mediterranea nominatur oppidum Tagana componendum esse cum hodierna *Tugana* prope *Tensift* fluvii fontes sita sagaciter perspexit Mueller; alia quae precaria manent sciens neglego. Itaque eadem flumina, oppida, promunturia bis enumerantur, primo hausta ex latino auctore, qui ex Graecorum Soloente promunturio Solis montem fecerat (cf. Plin. V 9), dein ex Graeco fonte, qui servaverat *Σολοεντίον ἄκραν* et Fut fluvium mutaverat in *Ὀφιώδην*[2]). Quid igitur? Quaenam impeditissimae huius *ἀπορίας λύσις* parata est? Haud scio, an iusto iure ita expediamus omnem difficultatem: debuit hercle non mediocris inde

1) *die kanarischen Inseln* 1874 p. 18.
2) cf. Gosselin, *Rech.* p. 107. Mueller ad Ptol. p. 730.

Ptolemaeo nasci dubitatio, quod admodum exiles de occidentali Libyae litore praesto erant notae nec per longum spatium eae porrigebantur; etenim a Darate per 7 tantum gradus meridiem versus pertinebant. Iam ut lacunam hiantem suppleret et eo usque occiduam oram habitatam faceret, quo orientalis nota erat, qua erat neglegentia duo itineraria, quae unum eundemque orae tractum depingebant, pessime conflavit. Ita factum, ut locorum ordo in hoc quidem segmine susque deque haberet; nam non solum eorum fluviorum promunturiorumque, quae falso huc deiciuntur, nomina, cum modo hunc, modo illum inspiceret auctorem, temere perturbavit Ptolemaeus, sed etiam eorum invertit seriem, quae recte in hac orae parte recensentur. Collocari enim debuit post Subu vel Susu fluvium, qui respondet hodierno *Sus*, Massa flumen, quod dilucide idem est atque Plinii Masathat et hodiernus *Ued Mesa*. Quae deinceps enumeratur Galinaria ἄκρα verisimiliter componenda est cum promunturio *Aglu* vel cum eo quod nuncupatur *Ras Garisim*; qui eam excipit Νοΐϊος fluvius, certe quaerendus in *Nun* flumine[1]). De urbibus, cum tantae Ptolemaei numeros obscurent tenebrae, equidem certi nil affirmarim, praesertim cum una ex eorum numero, Jarzitha, recurrat etiam in mediterraneis (IV 1, 7)[2]).

Priusquam vero pergamus septentrionalem orae partem paucis absolvam. Vix autem credas huc quoque emblemata quaedam a Ptolemaeo inserta esse. At primum post Suburis ostium ponitur Atlas minor (6° 33° 10′), quamquam montes hac in regione inveniuntur nulli[3]). Perbene vero cognovit Mueller, qui Atlas mons huc transmigraverit: narrat enim Plinius V 1, 5 Sala oppidum iam solitudinibus propinquum esse et Atlantis verticibus, nec non Philostratus (vit. Ap. V 1) a Salate austrum versus Libyam desertam et ἄβιον esse tradit. Quid igitur mirum, quod Ptolemaeus quoque Atlantem sibi finxit, ubi revera nullus est? Neque vero solum Atlantem huc transtulit, sed etiam, ni fallor, qui ab eo septentrionem versus eructat Δύον (Δοῦον BE. Δόνον BV) fluvium. Quod hac ratione probo: collocatur a Ptolemaeo ante Soloentem promunturium Διούρ (Δίον FR. Διούρον A) fluminis

1) cf. Mueller ad Ptol. p. 731.
2) cf. Vivien p. 372 a. 5.
3) cf. Vivien p. 360.

os, quod Vivienus (p. 363) et Tissotius (p. 238) referunt ad eam lagunam, quae inde a saec. XVII *Walidiia* vocatur, antea Edrisio appellata *Ayr;* his etsi dubitanter adsentitur Mueller (p. 576/77), qui *Δῦον* quoque cum eis recognovit in hodierno *Ued Mellah*. Quam incredibilia autem haec omnia sint, nemo non videt. Non poterit vero ei, qui de Ptolemaei fide paullulum addubitare coeperit eamque dubitationem quonam argumento firmare possit circumspiciat, primum non mira videri quae inter duo illa nomina intercedit similitudo; accedit, quod utraque vox manifesto cohaeret cum Plinii Ivore fluvio[1]). Hinc autem dilucidum fit, qui Diur duplici loco in Ptolemaei tabulas irrepserit: nimirum commemoratur Ivor apud Plinium una cum Asana flumine et Atlante, a Ptolemaeo ponitur ante Atlantem minorem et post Asanam, utrobique ficticius; nam Plinii Atlas est hodiernum promunturium *Gir*. Iam ad Atlantem maiorem accedamus et videamus quaenam ab eo septentrionem versus exeant rivi. De primo breviter dici potest: patet Ptolemaeum, sicuti Atlantem borealem sibi finxit ad Salat fluvium, ita Salat australem sibi finxisse ad Atlantem maiorem. Verumtamen assentientem etiam hac in re me habet Mueller, quod Agnam quoque flumen ex septentrionalibus Mauretaniae regionibus temere huc detrusum esse opinatus est nec non Valam; namque a Mela (III 107) Gna fluvius collocatur prope Ampelusiam promunturium, Vala vero idem esse videtur, qui est Valon freti Gaditani (cf. Ptol. IV 1, 5)[2]).

Eiectis vero omnibus, quae pravae tantum opinioni debentur, perpauca restant, quorum non iam alio sententiarum nexu mentio facta sit. Laudandus primus est *Κούσα ποταμός* qui nunc quidem subsequitur Salat flumen; itaque neque est *Ued Merzek*, sicuti Tissotius voluit (p. 236), neque causam video, cur cum Vivieno de eo desperemus, qui 'Le Cousa doit être' inquit (p. 360) 'un courant de bien peu d'importance, car aucune de nos cartes n'en montre la trace': immo qui meminerit eam quae IV 6, 2 legitur nominis formam non infitiabitur, eum non diversum esse ab hodierno *Ued Scherrat*, cuius ostium reapse, sicuti flagitatur altera Ptolemaei nota (IV 6, 2), a Salatis tertiam gradus partem abest.

1) cf. Vivien p. 363.

2) Tissotius (p. 253) censuit *Οὔνα* fluvium esse hodiernum *Ued Tefetna*, *Ἄγναν Ued Ait Amer*, *Σάλα* flumen *Ued Tamrakt*. cf. Vivien de St. Martin p. 366.

Dein a Fut fluvio (30° 30′) in eodem meridiano 30′ distat Herculis promunturium: distantia optime quadrat ad hodiernum *Ras el Dura:* illi spatio 5′ interiecto adiacet Tamusiga urbs, huic viculus qui vocatur *Sauja Mulai bu Serektun.* Dein Ussadion promunturium apud Ptolemaeum tantum distat a Fut flumine, quantum *Cap Sim* a *Tensift*[1]), cum fortassis *Σούριγα* urbs non austrum versus collocanda fuerit ab Ussadio promunturio, sed versus septentrionem ubi nunc est *Souira* sive *Mogador*[2]).

Ultimo loco eam Ptolemaei tabularum partem perlustrabo, quae a Darate meridiem versus est, in qua latitudinis gradus iusto multo breviores esse affirmant et Vivienus de St. Martin et Mueller (p. 729). 'Les distances', ait ille p. 374, 'y sont resserrées avec autant d'exagération que tout à l'heure elles étaient étendues. Nous n'avons plus qu'un intervalle de 10 degrés, là où l'application des données connues en peut bien demander 25.' Quae argumentatio prorsus corruit, quia quod sine dubio asseverant illi nullum plane habet fundamentum. Nam nil usquam est quod nobis persuadeat Ptolemaei rationem subito et quasi uno ictu mutari; etenim occupata illi ducuntur opinione, quippe qui censeant, Ptolemaeum occiduam Libyae oram cognitam habuisse ad eam usque regionem, quo Hanno penetravit. Quid igitur, quod Vivienus (p. 391) Catharum promunturium componi iussit cum hodierno *Cap Blanc*, Niam fluvium cum *Senegale*, Hesperu Ceras cum promunturio *Verde* (p. 341. 389), Masitholum cum *Gambia* vel *Rio Grande* (p. 395)? Nec vero in his substitit Mueller, qui non dubitavit, quin Arsinarium promunturium sit *Cap Barbas*, Rysadion *Cap Blanc*, Catharon *Cap Roxo*, Nia fluvius hodiernus *Cacheo River*, Masitholus hodiernus *Rio Sangarea*. Computantur autem in Ptolemaei tabulis a Daratis ore (15°) usque ad Hesperium promunturium (8°) septem gradus, qui nobis sunt 5° 50′. Adde, quod parva haec distantia minuitur ea re, quod Babam urbem una cum *Οὔβριξ* oppidulo quod in mediterraneis recensetur ex Mauretania septentrionali (cf. Ptol. IV 1, 14) inepte huc translatam esse Mueller cognovit, cum mihi quidem scrupulus in animo resideat etiam de Rysadio promunturio, quod nescio an cum Plinii Ryssadir urbe artiore coniunctum fuerit vinculo (cf. Ptol. IV 1, 12). Itaque eo deducimur, ut occiduam

1) cf. Vivien p. 364. Tissot p. 252.
2) cf. Mueller ad Ptol. p. 579.

Libyae oram austrum versus non multum ultra promunturium *Bojador* revera Ptolemaeo notam fuisse censeamus. Quod vero attinet ad eas quae mediae inter Daratem Hesperiumque promunturium leguntur notas, *μέγας* ille *λιμὴν* recognoscendus est aut in hodierno *Cansado* portu[1]) aut in *Schwikae* ostio quod adhuc audit *Boca Grande;* Arsinarium autem promunturium secundum positionem est *Cap Juby*[2]). De reliquis locis certa quae proponam non habeo, cum praesertim huc quoque quaedam aliunde transposita esse videantur.

Sed mittamus tandem aliquando quaestiones topographicas et exspatiemur in laetiores iucundioresque campos!

---

1) cf. Vivien p. 375.
2) cf. Vivien p. 375.

Caput II.

Promisi in prooemio, me de Hannonis vita et aetate inquisiturum esse: fidem altero hoc capite persolvam.

Quae ad medium usque nostrum saeculum de hac quaestione praestiterant viri docti, collegit et diiudicavit Mueller[1]). At neque plenum composuit diversissimarum sententiarum et opinionum conspectum[2]), neque quae ipse statuit omnibus probavit; immo ad hunc usque diem acerrima lis est quando Hannonis expeditio suscepta sit. Ut breviter complectar quae ex eo anno, quo prius geographorum Graecorum volumen prodiit, hic illic disputata sunt, Vivienus de St. Martin[3]) ad annum fere 570 Hannonis iter rettulit; longe plurimi autem geographi et philologi in duo discessere castra: videlicet ex altera parte Osannus (l. l. p. 537), Brandesius (l. l. p. 55), Knoetelius (l. l. p. 15), Entzius (l. l. p. 1) ducem fuisse navigationis censent Hannonem maiorem, eius Hamilcaris patrem qui a. 480 in pugna Himerensi pro patria mortuus est (cf. Herod. VII 165), ita ut intra annos a 510 ad 490 usque praeterlapsos illa instituta esse videatur, cum qui ab altera parte stant Arnoldus Schaefer[4]), Peschelius (l. l. p. 21), Meltzer (l. l. p. 238) Hannonem minorem, eiusdem illius Hamilcaris filium colonos in occiduam Libyam deduxisse arbitrentur (cf. Iustin. XIX 2, 2). Denique qui novissime omnibus adversarius exstitit Unger[5]) eo usque processit, ut priore quarti saeculi dimidio Hannonem Carthagine profectum esse affirmaret, id quod verum esse persuasit Goebelio (p. 8).

1) *proleg.* p. XXII. XXIII adn. 2.
2) cf. Osann *Zeitschr. f. Alterthumsw.* 1855 Nr. 68. p. 538.
3) p. 331. cf. *hist. de la géogr.* p. 37.
4) *Mus. Rhen.* XV p. 399.
5) *Mus. Rhen.* XXXVIII p. 182; cf. *Philol. suppl.* IV (1884) p. 198.

At quaenam tandem causa fuit cur in tot partes viri docti abirent? Posita haud dubie est in eo, quod certis veterum testimoniis plane caremus. Ex recentioribus autem nemini adhuc contigit, ut tantum opinioni suae praesidium pararet, ut non posset amplius de ea dubitari, ita ut adhuc sub iudice esse litem libere concedant Kiepertus (l. l. p. 221), Rugeus[1]), Berger (l. l. II p. 39). Attamen a me nemo facile impetraverit, ut innumerabiles istas coniecturas singillatim perpenderem et examinarem; immo hac utar ratione, ut primum quae mihi ipsi placeant explanem certa progressus via; postquam vero ratiocinationem meam ad finem perduxero, quae primo obtutu argumentationis vim infringere videntur paucis tractabo.

Poscit autem ipsa rei natura, ut primo circumspiciamus, quaenam de Hannonis itinere ipsi tradiderint veteres, quamquam nil inde profici supra iam monuimus. Afferendi sunt duo tantum loci Pliniani, quorum alter II 67, 169 extat, ubi haec: 'Hanno Carthaginis potentia florente circumvectus a Gadibus ad finem Arabiae navigationem eam prodidit scripto, sicut ad extera Europae noscenda missus eodem tempore Himilco'; altero (V 1, 8) ita loquitur Plinius: 'fuere et Hannonis Carthaginiensium ducis commentarii Punicis rebus florentissimis explorare ambitum Africae iussi'. Vides hoc quam sit levidense et nullius momenti! Ut enim Ungero (p. 183), qui Meltzerum aggreditur (p. 230), largiamur quamvis inviti, Plinii de florentissimis Carthaginiensium rebus narrationem non fluxisse ex mera ipsius coniectura, sed niti certis litterarum monumentis similiter atque quae de Hannone Himilconeque aequalibus produntur, hoc igitur ut largiamur Ungero, tamen ne si vellemus quidem possemus subscribere eis, quae idem de felicissimo Carthaginis urbis statu docuit; ea enim omnia parum considerate dicta sunt. Sed utut id est, Plinii verba certe tam ambigua sunt, ut inde nil liceat concludi. Estne vero ideo, cur omnem spem abiciamus? Minime profecto! Nam multa sunt in hac antiquitatis disciplina, de quibus quamvis non constet memoriae fide tamen nemo dubitat. Incedamus autem ut quid verum sit inveniatur ea via, ut primum terminum post quem Hannonis navigationem susceptam esse certum sit constituamus!

Exordium faciam ex primo illo foedere, quod inter Romanos

---

1) *Zeitalter der Entdeckungen* p. 13.

Carthaginiensesque anno 509 ictum esse Polybius (III 22) auctor est locupletissimus[1]). Usque ad medium fere sextum saeculum Carthaginienses Iberica paeninsula potiti non iam erant, verumenimvero florebat ibi Tartessorum regnum a Graecis quoque petitum itineribus (cf. Herod. IV 152); ex quo, ut hoc in transitu moneam, facile intellegitur, qui vetustissimis eorum geographis accuratissima occiduae huius regionis suppeditaverit notitia, duobus maxime, Hecataeo Milesio atque eius peripli auctori, quem Avienus in Ora maritima consuenda potissimum expressit[2]). Pedetemptim vero sexto saeculo exeunte Carthaginienses cum imperii fines propagarent, Iberiam quoque et expugnabant et valido firmabant praesidio, neque amplius iam aliis nationibus aditus ad has terras patebat (cf. Strab. XVII 1, 19 p. 802 C): quae occupatio rata facta est et sancita foedere illo a. 509 cum Romanis inito. Ceterum priusquam progrediar hac data occasione ad pactionem illam recte interpretandam frustulum contulerim ea motus causa, quia Meltzerum, *κριτικώτατον* alioquin virum et sagacissimum, a recta via longe aberrasse video, cum ante hos paucos menses commentationem de 'pulchro promunturio' conscriptam insereret ei volumini, quod in Fleckeiseni honorem anno 1890 ediderunt philologi Dresdenses (p. 259 sqq). Disceptatur inter philologos[3]), utrum Pulchrum promunturium, quod Romani navibus praeterire vetantur, sit hodiernum *Ras Sidi Ali el Mekki* an promunturium *Bon:* scilicet in errorem inducuntur Polybii ipsius prava opinione, qui III 23 falsissime *Τὸ μὲν οὖν Καλὸν ἀκρωτήριόν ἐστιν*, inquit,

1) Quod foedus si non ad annum 509, attamen ad hanc fere aetatem referendum esse mihi persuasit Nissenus (cf. *Fleckeis. ann.* v. 97, 1867, p. 321 sqq.), Mommseni sententiam, qui primam illam pacem ad annum 348 detrudi voluit (cf. *röm. Chronologie*² p. 320—25) acerrime impugnans. Omnia huc spectantia diligenter congessit Wende, *Über die zwischen Rom u. Karthago vor Ausbruch des 1. pun. Kriegs abgeschl. Handelsverträge:* progr. Bonn. 1876; cf. Meltzer, l. l. p. 172 sq. 487 sq.

2) Quae de Avieni Ora maritima exposuerunt Muellenhoffius in illustrissimi illius libri saepius laudati volumine primo (p. 73 sqq.) et Gutschmidius, cum huius operis censuram scriberet (cf. *Litt. Centralbl.* 1871. p. 523 sq.), ita comparata sunt, ut quae contra disputaverunt Unger *Philol. suppl.* IV p. 191 sqq. et Sonny, *de rebus Massiliensium* cp. II non impediant, quominus ea amplectamur.

3) cf. Tissot, *géogr. comp. de la prov. Rom. d'Afrique* I p. 156 sqq. 548 sqq. Ruehl *Fleckeiseni annal.* 1888. p. 348—50.

τὸ προκείμενον αὐτῆς τῆς Καρχηδόνος ὡς πρὸς τὰς ἄρκτους· οὗ καθάπαξ ἐπέκεινα πλεῖν ὡς πρὸς μεσημβρίαν οὐκ οἴονται δεῖν οἱ Καρχηδόνιοι τοὺς Ῥωμαίους μακραῖς ναυσὶ διὰ τὸ μὴ βούλεσθαι γινώσκειν αὐτούς, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, μήτε τοὺς κατὰ τὴν Βυσσάτιν μήτε τοὺς κατὰ τὴν μικρὰν Σύρτιν τόπους. Quod omni pacto absurdum esse vel ex hisce alterius foederis verbis colligitur (Pol. III 24): *ἐν Σαρδόνι καὶ Λιβύῃ μηδεὶς Ῥωμαίων μήτ' ἐμπορευέσθω μήτε πόλιν κτιζέτω.* Proxime autem ad veritatem Meltzer accessit, qui nil antiquius habuisse opinatur Carthaginienses, quam ut ab Hispaniae ditissimis coloniis arcerent Romanos: cui periculo occurrisse eos lege illa de Pulchro promunturio promulgata. Atque hoc quidem satis recte Meltzer; at mirari subit, quomodo qui Roma Hispaniam petit ad septentrionale Libyae litus perveniat, praesertim cum rapidiore maris fluento navigatio ad Columnas Herculis conversa impediatur[1]). Dein id quoque dubitationem excitat, quod uno eodemque foederis enuntiato coniungerentur et Libyae promunturium et Iberiae urbes! Quae cum ita sint, summam fateor a me non alienam esse mirationem, quod Meltzer silentio plane praeteriit palmarem Muelleri coniecturam, qua (ad Ptol. II 6, 14) *Καλὸν ἀκρωτήριον* in Hispaniae oris quaeri iussit. Recte idem laudavit hos Avieni versus (or. m. 424 sqq.):

nam sunt feroces hoc Libyphoenices loco,
sunt Massieni, regna Selbyssina sunt
feracis agri et divites Tartesii
qui porriguntur in *Calacticum*[2]) sinum.

Denique id optime docuit Mueller, Calacticum sinum ponendum esse in occidua ora prope promunturium *Palos:* hic enim

terminus quondam stetit
Tartesiorum, hic Herna civitas fuit

(cf. Avien or. m. v. 462 sq.). Nec tamen acquiescendum puto in Muelleri opinione, ex qua *Καλὸν ἀκρωτήριον* est ipsum *Cap Palos* —

1) cf. Neumann, *pun. Kriege*, ed. Faltin p. 57 adn. 1.

2) Artificia non immerito dixeris, quibus eam, quae tradita est, lectionem tollere studuerunt viri docti: scribi enim iusserunt 'Calathicum' (cf. Steph. Byz. s. v. *Καλάθη*) Christius *Abh. d. bayr. Akad. phil.-hist. Kl.* XI, 1868, p. 154 sqq., 'Galaticum' Meinekius, *vind. Strab.* p. 39, 'Malaciticum' Unger *Philol. suppl.* IV p. 234. Erravit etiam Muellenhoffius, qui servata quidem tradita scriptura Calacticum sinum eum esse opinatus est, qui inde a *Guadiaro* flumine ad *Bermujam* usque pertinet (cf. I p. 146).

hoc enim audierit in Avieni fonte *Τρητὴ ἄκρα*[1]) —; *Καλὴ ἀκτὴ* nuncupabatur potius ipsum *Cabo de la Naos*, cui ab Avieno nomen non inditur: quod vel ideo maxime idoneum est quo terminus significetur, quia ad orientem longissime excurrit, cum ex adverso eius iaceant Pityusae insulae iam pridem a Carthaginiensibus occupatae[2]); ex his igitur perbene Romani et Massilienses a meridionalibus orae Ibericae partibus prohiberi potuerunt. Sed ut redeamus, unde sumus egressi, manifesta res est, Carthaginienses non emisisse colonos in occidentalem Libyam, priusquam tenerent Hispaniam; namque si fretum Gaditanum in aliorum potestate erat, tanta quidem classe per angustas illas fauces libero egredi cursu omnino non licuit.

Iam vero alia argumentatione ad multo posterius tempus reicimur. Leguntur apud Herodotum IV 43 haec: Sataspem, Teaspis filium de Achaemenidarum stirpe, cum Zopyri filiae vim attulisset, a Xerxe capitis esse damnatum; cuius matrem, Darei sororem, supplicium deprecatam dixisse, se ei graviorem imposituram esse poenam: necessitatem circumnavigandi Libyam, donec ea circumnita in Arabicum sinum perveniret. Quod mandatum ut perficeret, Sataspem in Aegyptum profectum, cum ab Aegyptiis navem nautasque accepisset, navigasse ad Herculeas columnas eisque transmissis circumflexisse etiam Soloentem promunturium. Dein vero permultum maris pluribus mensibus emensum, cum maior semper periculosiorque itineris pars conficienda superesset, in Aegyptum eum redisse. Unde Susa reversus quae Xerxi rettulerit ipsius audiamus Herodoti verbis: *ἔλεγε τὰ προσωτάτω ἀνθρώπους μικροὺς παραπλέειν ἐσθῆτι φοινικηΐῃ διαχρεωμένους, οἳ ὅκως σφεῖς καταγοίατο τῇ νηΐ φεύγεσκον πρὸς τὰ ὄρεα λείποντες τὰς πόλιας· αὐτοὶ δὲ ἀδικέειν οὐδὲν ἐσιόντες, βρωτὰ δὲ μοῦνα ἐξ αὐτέων λαμβάνειν· τοῦ δὲ μὴ περιπλῶσαι Λιβύην παντελῶς αἴτιον τόδε ἔλεγε, τὸ πλοῖον τὸ πρόσω οὐ δυνατὸν ἔτι εἶναι προβαίνειν ἀλλ' ἐνίσχεσθαι.* Quae omnia cum Xerxi haudquaquam persuasisset, supplicium sumptum eumque e palo suspensum esse[3]).

Hanc autem Sataspis expeditionem angustissimis circumcludere finibus non difficile erit negotium. Primum enim illud reputandum,

---

1) cf. Avien. v. 452. Muellenhoff I p. 152 adn.
2) a. 654/3, cf. Tim. ap. Diod. V 16. Meltzer p. 154.
3) cf. Duncker, *Gesch. d. Alterthums* VIII p. 192.

Sataspem navigationem obisse post annum 478 duplici de causa: necessario Samus insula Persarum imperio iam erepta erat a Graecis[1]); etenim huc confugit audita domini morte Sataspis eunuchus (cf. Herod. IV 43 extr.). Dein Aegyptiis nautis Sataspes vitam credidit, quamquam multo fuit commodius, Phoenicias conscendere naves; nam ut Aegyptii[2]) ignari erant rei navalis, ita Phoenices[3]), qui multum semper valebant rebus maritimis, peritissimi. Movet autem nos ista res, ut putemus, Cyprum insulam quo tempore Sataspes iter ingressus est a Graecis recuperatam iam fuisse, quod utrum autumno anni 478 an vere 477 factum sit fluctuat iudicium[4]): Cyprus enim custos quasi et domina; erat totius orae Phoenicum, qui illa a Graecis occupata tuto ac libero cursu e portubus solvere nequiverunt[5]). At redeundum etiam est post annum 477: nam sat certis testimoniis constat, Xerxen cum per quattuor annos Sardibus moratus esset autumno demum 477 hinc Susa esse profectum[6]). Denique aliud argumentum substituitur, quo infra annum 470 descendere cogimur; namque non multum opinor, a veritate aberremus, si hoc tempore Babylona postquam a Persarum rege defecit a Zopyri filio Megabyzo denuo subactam esse cum Dunckero (p. 190) et Busoltio (p. 392 adn. 3) coniciamus[7]); quo negotio feliciter peracto Megabyzum a Xerxe generum adscitum esse nota res est, nec improbabile, tum demum Xerxen ob ignominiam istam Megabyzi familiae inustam tam acerbum supplicium sumpsisse de iuvene regio. Ab altera autem parte de ea quoque quaestione locus dubitationi non relinquitur, ante quem terminum Sataspes occiduam Libyae oram praeternavigaverit. Quas proferam causas, duas potissimum in praesens habeo: primum enim id non eget demonstrationis, Sataspem revertisse priusquam a. 465 Xerxes morti occubuit; dein autem haud dubie illius expeditio

1) cf. Grote, *Gesch. Griechenl.* III p. 154. Busolt, *griech. Gesch.* II p. 319.

2) cf. Plut. de Is. et Os. 32. Herod. II 43: cf. Wiedemann ad h. l. p. 206. cf. W. Mueller, *Die Umsegelung Afrikas durch phöniz. Schiffer.* 1890 p. 23.

3) cf. Heeren, *Ideen* I p. 703. Mueller l. l. p. 27.

4) cf. Krueger, *hist.-philol. Studien* I p. 37 sq. Schaefer, *de rerum post bella Persica in Graecia gestarum chronol.* p. 20. Unger, *Philol.* XLI p. 89 sq.

5) cf. Duncker l. l. p. 16. Busolt l. l. p. 339.

6) cf. Duncker l. l. p. 24.

7) Quae in contrariam partem Ctesiae narrationem secutus Noeldeke, *Aufsätze zur persischen Geschichte* p. 42 docuit minus mihi probantur.

anterior fuit eo qui praecedit anno, quia Cypro a. 466 in Persarum ditionem redacta[1]) brevissimo iam tempore post in Phoenicum, Cilicum, Cypriorum portubus naves ornatas classesque paratas esse sat multi rerum scriptorum loci testantur[2]). Itaque in exiguum illud spatium quod est inter annos 470 et 466 Sataspis navigatio interciderit necesse est.

Nunc autem accipe, cui usui haec tam operosa demonstratio instituta sit: consequitur inde, Hannonem ante annum 466 in longinquas illas terras emissum non esse. Quod enim Vivienus de St. Martin (l. l. p. 330) ait: 'd'une part, il ne paraît pas douteux que cette longue navigation de Sataspès ait dû être postérieure à l'expédition explorative de l'amiral Carthaginois, qui en avait ouvert la route'[3]), aperto errore tenetur. Contrarium verum est; namque aliter non perspicitur, qui Sataspes Xerxi potuerit renuntiare quae dicentem Herodotus eum inducit. Quid enim, quod iuvenis ille domui regiae affinitate iunctus ad indigenarum tantum urbes se appulisse rettulit? Repperisset profecto si post Hannonem navigasset colonias Carthaginiensium in occidua Libyae ora ab Hannone conditas ibique de eius expeditione cuius recens fuisset memoria certa quaedam comperisset; nam non inepte, modo unam adiungas cautionem, Vivienus 'il semble' inquit (p. 330) 'que, si les deux voyages avaient été en quelque sorte simultanés, on aurait eu par le second quelque notion du premier, dont le souvenir aurait été si recent': Sataspes procul dubio incidisset in itineris Hannonei vestigia satis manifesta; contra nequit idem affirmari de Hannone; nam Sataspis navigatio vestigia omnino reliquerat nulla. Totius vero quaestionis momentum faciunt ipsius Herodoti verba recte explicata: agitur IV 42 ea de re quisnam primus Libyam circumfluam esse cognoverit atque praemonetur, Nechonem Aegyptiorum regem emisisse nautas Phoenices e sinu Arabico dato mandato ut per Herculeas columnas renavigarent[4]); dein sequuntur, ultima huius capitis verba haec: *δύο ἐτέων διεξελθόντων τρίτῳ ἔτεϊ κάμψαντες Ἡρακλέας στήλας ἀπίκοντο ἐς Αἴγυπτον καὶ ἔλεγον ἐμοὶ μὲν οὐ πιστά, ἄλλῳ δὲ δή τεῳ, ὡς περιπλώοντες τὴν Λιβύην*

1) cf. Duncker l. l. p. 197.

2) cf. Duncker l. l. p. 197. Busolt l. l. p. 393.

3) cf. Meltzer p. 506.

4) Hanc Nechonis expeditionem revera perfectam esse, probare studuit, sed non probavit Guilelmus Mueller. Equidem assentior Bergero I p. 35 sqq.

τὸν ἥλιον ἔσχον ἐς τὰ δεξιά· οὕτω μὲν αὕτη ἐγνώσθη τὸ πρῶτον (scil. *περίρρυτος ἐοῦσα*). *Μετὰ δὲ Καρχηδόνιοι εἰσὶ οἱ λέγοντες* (scil. cognovisse se Libyam esse circumfluam), *ἐπεὶ Σατάσπης γε ὁ Τεάσπιος ἀνὴρ Ἀχαιμενίδης οὐ περιέπλωσε Λιβύην, ἐπ' αὐτὸ τοῦτο πεμφθείς, ἀλλὰ δείσας τό τε μῆκος τοῦ πλόου καὶ τὴν ἐρημίην ἀπῆλθε ὀπίσω οὐδ' ἐπετέλεσε τὸν ἐπέταξέ οἱ ἡ μήτηρ ἄεθλον.* Quae Carthaginiensium opinio alio non nititur fundamento, nisi Hannonis periplo[1]), nec longe petenda erunt, censeo, quibus eius origo illustretur; videlicet tradiderat Hanno se Hesperi Cornu superato pervenisse ad Noti promunturium; unde et posterioris aevi geographi vulgo concluserunt (cf. Plin. II 67, 169) et veteres Carthaginienses conclusisse videntur, eum praetervectum et occiduam et meridionalem Libyae oras orientalis terminum assecutum esse — quid igitur mirum, quod hinc evicerunt Libyam circumnavigari posse? Ipsa vero Herodoti verba, quae modo laudavi, firmissimo documento sunt, Sataspem ante Hannonem per fretum Gaditanum penetrasse; aliam illud *ἐπεὶ* non admittit interpretationem.

Quae si recte disputata sunt, consectarium est, Hannonis expeditionem posteriorem esse anno 465; iam igitur eo usque perducta res est, ut quaeramus, quonam tempore sit anterior. At vero quid multa? Quis non videt, omnem controversiam profligatam iam esse et disceptatam eodem illo loco Herodoteo, quo id extra dubitationem ponitur quin Herodoti aetate Hannonis iter feliciter confectum in omnium iam Carthaginiensium ore fuerit et multis vanis commentis dederit ansam? Itaque pauca illa verba, si quid video, plus valent quam farrago illa locorum, quam Meltzer (p. 231 sqq.) ut idem probaret congessit: cuius argumentis non sine iusta causa fidem abiudicarunt Unger (p. 183) et Goebelius (p. 9); nam multa insunt infirma, multa etiam quibus luculenter aetas ante-Hannonea innuitur. Nimirum describit Herodotus (IV 195) *Κύραυνιν* insulam, sitam *κατὰ Γύζαντας τοὺς ἐν Λιβύῃ* (cf. Steph. Byz. s. v. *Κύραυνις*), longitudine ducentorum stadiorum, artam latitudine, in quam transiri possit e continente: quas notas omnes quantum eius fieri potest apte referri ad eam insulam, quam ad occidentalem minoris Syrtis oram sitam et centum viginti stadiis a Libya distantem *Κέρκιναν* vocat stadiasmus maris magni (§ 112), Plinius V 7, 41 atque Strabo XVII 3, 16 p. 834 C *Κερκινῖτιν*,

1) cf. Berger II p. 40.

Meltzer ipse profitetur[1]); id unum admirationem eius movet, quod Herodotus lacum ibi auri fertilem extitisse memorat, cum hodie quantum scimus aurum tota illa regio non procreet. At nolo huic rei tantum tribuere[2]), ut Herodotum Cyraunin et Cernen inter se confudisse arbitrer, quae suspicio quam futtilis sit cum neque nomen neque cetera satis conveniant inde patet, quod ne in Cernes quidem insulae vicinia hodie aurum reperitur! Dein vero Meltzer quae de Soloente promunturio extremo Libyae termino Herodotus docet (II 32. IV 43. 185. 196) inde repeti iubet, quod Hanno a Thymiaterio ad Soloentem usque promunturium vesperum versus se tenuisse, hinc ortum petisse narret: quae quam sint probabilia, tu videas! Nec melius profecto comparata sunt quae praeterea afferuntur haec: perhibetur IV 183, Garamantas quadrigis usos venari Troglodytas: *οἱ γὰρ Τρωγλοδύται Αἰθίοπες πόδας τάχιστοι ἀνθρώπων πάντων εἰσὶ τῶν ἡμεῖς πέρι λόγους ἀποφερομένους ἀκούομεν* (cf. Solin. 229, 8. 9). Cum vero Hanno quoque (§ 7) Troglodytas pedibus omnium hominum velocissimos vocet, inde colligunt Herodotea fluxisse ex Carthaginiensis periplo, neglegunt, quod Herodoti Troglodytae non ita multum remoti a Garamantibus habitarunt, sicuti incoluerunt etiam alias Libyae partes (cf. Hec. fr. 266 M. Aristot. anim. VIII 14) et incolunt. Traditum dein accepimus (IV 191), a Tritonide lacu sive amni occasum versus incipere regionem *ὀρεινήν τε κάρτα καὶ δασέαν καὶ θηριώδην*, cuiusvis generis infestatam animalibus: *καὶ γὰρ οἱ ὄφιες οἱ ὑπερμεγάθεες καὶ οἱ λέοντες κατὰ τούτους εἰσὶ ... καὶ οἱ ἄγριοι ἄνδρες καὶ γυναῖκες ἄγριαι.* Feros hos homines referunt vulgo ad Hannonis *Γοργάδας*; attamen cum iterum de regione ab australibus istis insulis toto coelo dissita sermo est, tum, ut omne fundamentum illi argumentationi eripiatur, persuasissimum habeo, rectum vidisse Baehrium (p. 647), qui illa verba, e quibus tota res pendet, a lectore quondam margini adscripta inepte in textum intrusa esse ab indocto librario contendit; videlicet totum sententiarum nexum foede interrumpunt, cum excipiantur ab his: *καὶ ἄλλα πλήθεϊ πολλὰ θηρία ἀκατάψευστα.* Quodsi denique Herodotus II 31 ob ingentem solis ardorem quae sunt supra Aegyptum

1) cf. Movers, *Phoen.* II 2, 495. Forbiger II 839. Mannert X 2, 155.

2) cf. Niebuhr, *Kl. Schriften* I p. 148. Movers *Ersch. et Grub. encycl.* sect. I vol. XXIV p. 366. Mueller *prol.* p. XXVII.

deserta inhabitabilia esse affirmat, similiter atque Hanno ad terram propter nimium calorem inaccessam pervenit, quid, quaero, impedit, quominus hoc acceperit cum Aegypti versaretur?

Dixi supra, quaedam subindicare aetatem ante-Hannoneam, quae vulgo posteriori tempori vindicentur: spectavi hanc Herodoti narrationem, ab ipsis Carthaginiensibus (cf. IV 196) compertam: *εἶναι τῆς Λιβύης χῶρόν τε καὶ ἀνθρώπους ἔξω Ἡρακλέων στηλέων κατοικημένους· ἐς τοὺς ἐπεὰν ἀπίκωνται καὶ ἐξέλωνται τὰ φορτία, θέντες αὐτὰ ἐπεξῆς παρὰ τὴν κυματωγήν, ἐσβάντες ἐς τὰ πλοῖα, τύφειν καπνόν· τοὺς δ' ἐπιχωρίους ἰδομένους τὸν καπνὸν ἰέναι ἐπὶ τὴν θάλασσαν καὶ ἔπειτα ἀντὶ τῶν φορτίων χρυσὸν τιθέναι καὶ ἐξαναχωρέειν πρόσω ἀπὸ τῶν φορτίων. τοὺς δὲ Καρχηδονίους ἐκβάντας σκέπτεσθαι, καὶ ἢν μὲν φαίνηταί σφι ἄξιος ὁ χρυσὸς τῶν φοτίων, ἀνελόμενοι ἀπαλλάσσονται, ἢν δὲ μὴ ἄξιος, ἐσβάντες ὀπίσω ἐς τὰ πλοῖα κατέαται· οἱ δὲ προσελθόντες ἄλλον πρὸς ὧν ἔθηκαν χρυσὸν, ἐς οὗ ἂν πείθωσι. ἀδικέειν δὲ οὐδετέρους· οὔτε γὰρ αὐτοὺς τοῦ χρυσοῦ ἅπτεσθαι πρὶν ἄν σφι ἀπισωθῇ τῇ ἀξίῃ τῶν φορτίων, οὔτ' ἐκείνους τῶν φορτίων ἅπτεσθαι πρότερον ἢ αὐτοὶ τὸ χρυσίον λάβωσι.* Una voce liquere aiunt, haec auri commercia pertinere ad regiones quae a meridie sint magni deserti[1]), quod non nisi hic aurum inveniatur, ubi hanc mercium permutandarum consuetudinem inter *Nigros Mauros*que nondum exolevisse constat[2]). At ne ibi quidem aurum in ora maritima reperitur, sed apportatur ex mediterraneis. Cum vero supra viderimus, Aethiopas antiquis temporibus non solum totam habitasse *Saharam*, sed etiam ultro septentrionem versus protensos fuisse, nulla iam causa est cur Herodoti relationem ad *Senegalis* fluvii ripas referamus. Praesto enim sunt medii aevi exempla, quibus ex interiore terrae parte auri amplam copiam in inferiorem Mauretaniam afferri probatur[3]). Usque ad borealem igitur deserti finem puto Carthaginienses Gadibus profecti pervenerunt ibique agere solebant cum continentis aurilegis; ut vero maiorem ex his commerciis fructum perciperent coloniis conditis sperabant se effecturos esse[4]). Quanta autem reapse Hannonis urbibus aedificatis rerum permutatio facta sit ostendit Scylacis periplus (§ 112).

1) cf. Mueller *proleg.* p. XXVII. Meltzer p. 233.
2) cf. Mueller *proleg.* p. XXVII adn. 1. Fitzau l. l. p. 263.
3) cf. Peschel p. 50 adn. 2. p. 56.
4) cf. Goebel p. 66.

Quamquam haec omnia in eam partem accipi nolo, quasi eis adstipuler qui autumarunt, si Hannonis expeditio ante Herodoti aetatem suscepta esset, plura historiae patrem et diligentiora de ea narraturum fuisse[1]). Immo potuisse quaedam Herodotum a Carthaginiensibus de itinere Hannoneo comperire minime infitior; nego id solum, huius rei testimonia ex eis quos tractavimus locis depromi posse. Sed utut id est, plura, opinor, omnino opus non sunt, sufficiunt quae supra exposui.

Jam vero exsistit quaestio subdifficilis, quonam tempore Herodotus quae de occidua Libya prodidit accepisse videatur a Carthaginiensibus; etenim cum his se convenisse ipse saepius asseverat (IV 42. 43. 184. VII 167. 196). Res est admodum lubrica; nam ne id quidem certum quibus annis hanc operis partem conscripserit, cum Kirchhoffii opinionem[2]) qua libros inde a III 119 usque ad V 76 Thuriis compositos esse coniecit minime omni ex parte firmatam esse probe sciam. Probabilissimum vero iterum iterumque rem mecum reputanti hoc videbatur, maiorem libri IV partem, quae mirum quantum cum altero libro consentit[3]), conditam esse post iter Aegyptiacum; optime enim Bauer ex differentiis inter singula eius capita intercedentibus conclusit, quaedam sane confecta esse ab Herodoto ex eis, quae sive Delphis sive Sami de Cyrene eiusque vicinia potuerat accipere, pleniora dein et accuratiora addita esse postquam ipse Libyam septentrionalem adiit[4]). Nolo hic nimius esse de clarissimo hoc itinere ac de industria omitto quaerere, quo ordine singulas terras Herodotus viserit, quamquam eo inclinat animus, ut primum Cyrenen, dein Aegyptum, postremo Palaestinam Syriamque eum petisse existimem. Nostra id solum interest, quando peregre fuerit. Atque hac quidem in re id pro certo habuerim, inter annos 454 et 446 Herodoti peregrinationem ponendam esse. Iam cum in ipsa Cyrene ille quae de Carthaginiensibus deque occidentalis Libyae gentibus prodit explorasse videatur — Cartha-

---

1) cf. Goebel p. 9.

2) *Über die Entstehungszeit des herod. Geschichtswerks*² 1878. cf. Bauer, *Die Entstehung des herod. Geschichtswerks*, Wien 1878.

3) cf. Bauer p. 56.

4) cf. Hachez, *de Herodoti itineribus et scriptis* p. 62. Hildebrandt, *de itineribus Herodoti Europaeis et Africanis* p. 53.

ginem ipsam non vidit —, vel anno ferme 450 Carthaginienses de Hannonis expeditione gloriatos esse manifestum fit. Itaque quae ex his si certos numeros quaerimus constant, haec sunt: Carthagine profectus est Hanno post annum 466, revertit eodem certe ante annum 450.

Non est vero quinam expeditionis dux fuerit anceps coniectura. Traditum nimirum est apud Plinium (II 67, 169) Hannonem eodem tempore a Gadibus ad finem Arabiae circumvectum esse, quo Himilco ad extera Europae noscenda missus Iberiae Galliaeque oras praeternavigasset. Vix autem quisquam eo adducetur, ut credat, et Hannonem et Himilconem fuisse ignotos quosdam viros, quoram memoriam historia non servarit, quamquam Unger (p. 182), Goebelius (p. 9), alii ab hac opinione non abhorruerunt: quanta levitate quantaque stultitia Carthaginienses praeditos, quantopere occaecatos mente hi viri docti sibi fingunt, qui id contendere animum inducunt eos nescio cui homini triginta milia colonorum commisisse! Equidem id tamquam exploratum pono, non potuisse nisi virum et rei publicae gerendae administrandaeque peritum et virtute militari spectatum ducem tantae expeditionis creari! Huc spectat etiam, quod Hanno in ipsius tituli prima paragrapho audit *βασιλεύς*, quo nomine idem significare voluit qui Punicum periplum Graeco reddidit sermone atque Carthaginienses sufetis voce[1]). Sed ut appareat, quorsus tendat oratio, advertamur ad Iustinum, qui XIX 2, 1 ita loquitur: 'interea Hamilcar[2]) bello Siciliensi interficitur relictis tribus filiis, Himilcone, Hannone, Gisgone. Asdrubali quoque par numerus filiorum fuit,

1) cf. Herod. VII 165. Polyb. VI 51, 2. Polyaen. I 27, 2. Diod. XIII 43. XIV 54. XV 15. Reddi solet Punicus ille terminus etiam Graeco verbo *πρωτεύων*: cf. Aristot. Pol. II 11. Apud Latinos dicuntur 'reges' vel 'consules' Poenorum sufetes: cf. Liv. XXX 7, 5. Fest. s. v. p. 309^{b}, 29. Oros. IV 11. Nepos Hann. VII 4. Iustin. XXXI 2, 6. Si vero exercitui vel classi praesunt haud raro appellantur *ἡγεμόνες* a Graecis vel *στρατηγοί* (cf. Ael. Arist. II 475 D. Diod. XX 29), a Latinis 'duces' vel 'imperatores' (cf. Plin. V 8. Sol. p. 230 M.): per se enim reges et duces distinguendos esse disertis verbis testatur Aristoteles Pol. II 8 § 5. 6 (cf. Kluge, *de politia Carthaginiensium* p. 90 sq.); sed saepissime accidisse ut idem vir utroque fungeretur munere ibidem legitur (cf. II 8 § 9).

2) cf. Herod. VII 165. Diod. XI 20; quod Carthaginiensinm dux apud Polyaenum (I 20, 2) audit Himilco, ortus esse videtur hic error ex ea re quod altera illius nominis forma est *Ἀμίλκων* (cf. Diod. XI 20).

Hannibal, Hasdrubal et Sappho. Per hos res Carthaginiensium ea tempestate regebantur'. Effectum est priore illa argumentatione, Hannonis iter tribuendum esse eis annis, qui inter 465 et 450 praeterfluxerunt; eadem vero aetate vixerunt Hamilcaris qui a. 480 cecidit filii, ex quibus maximi natu erant Himilco et Hanno, eodem tempore summis fungentes magistratibus; vides igitur omnia aptissime conciliari et eo redire, ut statuamus, Hamilcaris filios itinera ad novas terras quaerendas suscepisse, cum interea qui tertius erat frater Gisgo una cum patruelibus rei publicae praeesset. Unum addo: probabilissimum hinc reddi, priori potius illorum annorum dimidio Carthaginiensium navigationem assignandam esse: nam non solent seniores homines et aetate provecti talia subire pericula.

Porro etsi anceps esse sentio aliud quid non tacebo, quod observavi. Incertum adhuc reliquimus, qua de causa Hannonis expeditio instituta sit. Aiunt vulgo eam tam apertam esse, ut manu paene teneatur: videlicet commerciorum condendorum causa Carthaginienses tot emisisse colonos[1]). Atque profecto nemo sanus negaverit, Poenos, cum quinque illas in occidua Libya aedificarent urbes, id spectasse, ut patriae florentissimae iam emporio augerent commercia. Attamen id pervalde dubium mihi videtur, num haec unica fuerit mittendi triginta milia hominum causa; namque intuentes et veteris et mediae et recentioris aetatis coloniarum historiam animadvertimus perraro tantam civium multitudinem uno eodemque temporis momento e patria urbe cessisse; si vero emigrarunt, semper interior quaedam et recondita suberat causa, quae eum qui altius penetraverit numquam latebit. Huc non leve pondus Aristotelis quidam locus addit, qui ut similia de ipsis Carthaginiensium coloniis suspicemur nos adducit; exponuntur enim Pol. II 11 p. 1273 b haec: *Ὀλιγαρχικῆς δὲ οὔσης τῆς πολιτείας ἄριστα ⟨στάσιν⟩*[2]) *ἐκφεύγουσι τῷ πλουτίζειν αἰεί τι τοῦ δήμου μέρος ἐκπέμποντες ἐπὶ τὰς πόλεις· τούτῳ γὰρ ἰῶνται καὶ ποιοῦσι μόνιμον τὴν πολιτείαν. ἀλλὰ τουτί ἐστι τύχης ἔργον, δεῖ δὲ ἀστασιάστους εἶναι διὰ τὸν νομοθέτην. νῦν δὲ ἂν ἀτυχία γένηταί τις καὶ τὸ πλῆθος ἀποστῇ τῶν ἀρχομένων οὐδέν ἐστι φάρμακον διὰ τῶν νόμων τῆς ἡσυχίας.* Neque desunt quae haec vel ad pristina illa tempora referenda

1) cf. Roscher u. Jannasch, *Kolonieen* p. 10 sq.
2) Ita recte Bernaysius supplevit.

esse magnopere suadeant. Spem enim faciunt fore ut vera definiatur causa quae Iustinus XIX 2, 4 tradidit haec verba: '(aetate filiorum Hamilcaris) Mauris bellum illatum et adversus Numidas pugnatum et Afri compulsi stipendium urbis conditae Carthaginiensibus remittere'. Quo fundamento nixus primus Mommsenus, cui prorsus adsentitur Meltzer (p. 225 sqq.), optime explanavit[1]), quantae inde factae sint in Carthaginiensium civitate inclinationes rerum: qui antehac parvum tantum araverant agrum ob vectigal possessoribus impositum, amplos iam latosque fundos quos colerent servorum auxilio coëmebant: 'Jetzt ward eine eigene Ackerwirtschaft im Grofsen möglich' rectissime inquit Mommsenus; 'jetzt konnten die Karthager unbeschränkt den reichen libyschen Boden ausbeuten durch ein System, das dem der heutigen Plantagenbesitzer verwandt ist; gefesselte Sklaven bestellen das Land; wir finden, dafs einzelne Bürger deren bis 20000 hatten'. Iam vero subitas tales mutationes saepissime secessionum migrationumque causas exstitisse multis ex recentiorum temporum oeconomia publica desumptis exemplis quivis facile demonstret; equidem haec Roscheri verba laudasse satis habeo: 'Auch eine bedeutende Veränderung der Produktion (durch ein anderes System des Ackerbaues und Gewerbfleifses, Fruchtwechsel statt Dreifelderwirtschaft, Fabrikbetrieb statt Hausindustrie), wodurch eine Menge Menschen aufser Brod gesetzt wird, kann zur Kolonisation führen'[2]). Quibus haud scio an commode ad expediendam eam in qua nunc disputatio versatur quaestionem utamur. Quod autem idem Roscher alio loco[3]) proponit, ut in tanta rerum iniquitate ipsa res publica eiusque magistratus magnae communisque emigrationis auctores fiant — 'Eine plötzlich unternommene, grofsartig ausgedehnte Migration kann das wirksamste Vorbereitungsmittel zur Abstellung des Pauperismus bilden. Überflüssig gewordene Arbeiter müssen auf Staatskosten auswandern' — optime iam Carthaginiensium senatus, cuius sapientiam ac prudentiam est cur miremur, perspexerat se hoc remedio et internis civitatis malis occurrere posse et una patriae urbis commercia augere. Vituperandus ideo solum

---

1) *Röm. Gesch.* I p. 498.

2) cf. *Kolonieen* p. 34 adn. 1; *Ideen zur Politik und Statistik der Ackerbausysteme* (*Rau u. Hanssen Archiv der politischen Ökonomie* n. s. III 2 p. 171.)

3) *Nationalökonomie* I p. 730/1

est, quod neglexit mutata agriculturae et industriae ratione omnium malorum causam resecare et praecavere ne eadem incommoda recurrerent: quo factum, ut saepius eandem medendi viam ingressi pauperiorem populi partem (etsi non tantam, quantam Hannonis aevo) in colonias emitterent.

Sed dum in hoc moror, paene oblitus sum gravissima quibus alia quoque una assequimur. Nimirum idem Iustinus, cui multa iam egregia debemus, eis quae supra exscripsimus verbis haec adnectit: 'Cum familia tanta imperatorum gravis liberae reipublicae esset omniaque ipsi agerent simul et iudicarent, centum ex numero senatorum iudices deliguntur, qui reversis a bello ducibus rationem rerum gestarum exigerent, ut hoc metu ita in bello imperia cogitarent, ut domi iudicia legesque respicerent'. Hinc elici posse credo quae uni alterive fortassis non displiceant. Affirmo enim Hannonem ipsum primum fuisse, qui ex itinere audacissimo reversus rationem reddidit patrii oppidi magistratibus idque eo ipso quem manibus tenemus periplo. Unde primum colligitur, quando illa rei publicae Carthaginiensis conversio facta sit: scilicet cum Hanno et Himilco, principes illi familiae Magonidarum qui plurimum auctoritate valebant Carthagine abessent expeditionibus in longinquas terras susceptis occupati, ea opportunitate utebantur Carthaginienses, ut novas res molirentur et iugum cervicibus impositum excuterent; etenim cum ceteroquin bini annui reges non ex eodem genere crearentur Carthagine (cf. Aristot. Pol. II 11 p. 1272б b, per longam annorum seriem et regum et ducum muneribus una fortassis cum amicis Hasdrubalis Hamilcarisque filii functi erant[1]), ita ut reapse fuerint *βασιλεῖς* non *κατὰ νόμον*, sed *κατὰ γένος* (cf. Diog. Laert. III 82). Quam paucorum dominationem diu iam nobiles oderant; tum cum mediocres tantum et obscuri Magonis nepotes in urbe remansissent, concitata popularibus artibus plebe tempus depellendi eos e regno non amiserunt, ita ut Hanno et Himilco ex itinere redeuntes rem iam perfectam invenirent. Dein vero id constituitur, quomodo illud quod servavit fortuna secunda documentum accipiendum sit, qua de re in diversissimas partes a viris doctis itum est. At plerique non satis caute iudicarunt, veluti Mueller, qui[2]) 'summa itineris capita' inquit 'in honorem Hannonis titulo publico

1) cf. Meltzer p. 192.
2) *proleg.* p. XXIII.

commendabantur tali qualem Graeca nostra reddunt, in quibus de commerciis ne verbum quidem extat et coloniarum vix nomina apponuntur, plurima autem sunt circa mirabilia itinerisque pericula, quae deterrerent potius simile quid ausuros quam excitarent, adeo ut ex eo ipso consilio videantur suum traxisse colorem'. Quid vero Berlioux, quem ioci causa affero? In cachinnos enim omnes profecto effundentur qui haec eius verba perlegent: 'Les rélations sont remplies d'obscurités primitivement voulues et destinées à cacher le secret du commerce africain (p. 6). C'est un véritable modèle de réticence et d'obscurité dissimulées sous une sincérité apparente (p. 7). Il rappelle les livres hiératiques de l'Orient qui racontent des mystères intelligibles pour les seuls initiés' (p. 21)! Quid? Nonne multo simplicius arcana servassent Carthaginienses quae habebant de occidua Libyae ora, si titulum omnino publice non proposuissent[1])? Immo si totum monumentum animo complectimur, admodum sicca et ieiuna oratione compositum est; paucis res egregie gestae enarrantur, nec usquam violatur veritatis fides; itaque et res et stilus bene conveniunt cum ea explicatione, quam supra Iustinum secutus proposui; postquam in capite praescripta sunt quae ad sequentia intellegenda necessaria erant subiunguntur quae Hanno rettulerat senatui, cum hic rationem itineris ab eo resposceret. Videtur autem dux Carthaginiensium merito elatus optimo expeditionis successu ipsam hanc relationem posuisse etiam in Saturni delubro.

Effecisse mihi quod volebam videor, ut Hannonis iter decem illis vel quindecim annis vindicandum esse probarem: relinquitur, ut paucis absolvam quae unus alterve obiecit vel obiciat fortasse. Atque primum quidem quod Brandesius (l. l. p. 63) id summopere pressit in Hecataei Milesii reliquiis laudari Melittam urbem (cf. fr. 327 M. Steph. Byz. s. v.), possum me ita defendere, ut illud quoque eorum fragmentorum numero inseram, quae recentioris aetatis originem aperte prae se ferant; nam cum ipsi iam veteres dubitassent, utrum quae Hecataei Milesii nomine circumferebatur periegesis genuina esset necne (cf. Callim. ap. Athen. II p. 270. fr. 172 M; contra cf. Erat. ap. Str. I 1, 11 p. 7 C), recentiores historici et geographi hic illic in eius fragmentis offenderunt, nec qui nuperrime de hac quaestione multis sagaciter, ut solet, egit

1) cf. Osann p. 540.

Dielsius[1]) mihi persuasit omnes Hecataei reliquias extra dubitationem positas esse. Sed digna est haec res, quae seorsim copiose tractetur; hodie unum tantum moneo, quod breviter potest exponi. Nimirum plurimum vulgo tribuunt hisce Eratosthenis (cf. Strabo I 1, 11 p. 7 C): *τὸν δὲ Ἑκαταῖον καταλιπεῖν γράμμα, πιστούμενον ἐκείνου εἶναι ἐκ τῆς ἄλλης αὐτοῦ γραφῆς*[2]). Probatur mihi Lipsii coniectura[3]), Eratosthenem collegisse et ex dicendi genere et ex ipsis rebus diligenter comparatis[4]), periodum esse non alius atque genealogiarum libros auctoris: iam vero certissimis argumentis eruitur, has ipsas genealogias non deberi Hecataeo Milesio. Causas ex rebus geographicis repetam[5]). Fabula est a nemine fere veterum non decantata, Geryoneum Erythiam insulam habitasse ex adverso Gadium ad extremum occasum sitam (cf. Stesich. ap. Str. III 148. Hdt. IV 8. Eph. Phil. ap. Plin. IV 120)[6]), quam sententiam Hecataeus quoque amplexus esse videtur, cum eum secutus Stephanus Byzantius s. v. *Μοτύη* (cf. fr. 47 M.) hanc Siciliae urbem nomen accepisse testetur *ἀπὸ Μοτύης γυναικός, μηνυσάσης Ἡρακλεῖ τοὺς ἐλάσαντας τοὺς αὐτοῦ βοῦς*; etenim in Siciliam pervenire tantum potuit Hercules reversus ab Herculis Columnis. At quomodo hac cum re conciliantur quae Arrianus (exp. Alex. II 16; cf. fr. 349 M.) tradit: *Ἑκαταῖος ὁ λογοποιὸς λέγει οὐδὲ ἐπὶ νῆσόν τινα Ἐρύθειαν ἔξω τῆς μεγάλης θαλάττης σταλῆναι Ἡρακλέα· ἀλλὰ τῆς ἠπείρου τῆς περὶ Ἀμβρακίαν τε καὶ Ἀμφιλόχους βασιλέα γενέσθαι Γηρυόνην καὶ ἐκ τῆς ἠπείρου ταύτης ἀπελάσαι Ἡρακλέα τὰς βοῦς οὐδὲ τοῦτον φαῦλον ἆθλον τιθέμενον*? Causa cur huc Geryoneum transponerent ea erat, quod pulcherrimi in hac terra inveniebantur boves (cf. Suid. s. v. *λαρινοὶ βόες*. schol. Arist. av. 465. Ael. n. a. XII 11; cf. Scyl. 26. Aristot. mir. ausc. 133): qui autem ex Ambracia Graeciam petiit, certe non appulit Siciliam; itaque duo illa Hecataei fragmenta, quae mihi benigne subministravit

1) cf. *Herm.* XXII p. 411 sqq.

2) cf. Berger, *Erat. fr.* I B 5 p. 41 sq.

3) cf. *quaest. logogr.* p. 17.

4) cf. Diels p. 415.

5) Dubitaverunt iam de Hecataei Milesii genealogiis Cobet *Mnemos. n. s.* XI, 1883, p. 3—7, et Sittl, *Gesch. d. griech. Litt.* I p. 349, uterque levidensibus nixus argumentis, quibus non sine causa non multum tribuerunt Lipsius l. l. p. 17 et Dielsius l. l. p. 412.

6) cf. Preller, *Griech. Mythol.* II p. 202 sqq. Voigt *Rosch. lex. myth.* p. 1633 sq.

Sieglinius vir doctissimus, aperta fronte secum pugnant. Nec ulli dubitationi obnoxium est, quin Hecataeus Erythiam in extremo occasu quaesiverit; altera ista opinio ignota veteribus auctoribus quarto demum saeculo nata est. Firmatur autem suspicio alia re, quae quomodo explicanda sit nemodum recte indicavit; videlicet continentur scholio ad Ap. Rh. Argonaut. IV v. 259 conscripto haec: *Ἡρόδωρος ἐν τοῖς Ἀργοναύταις φησὶ διὰ τῆς αὐτῆς ἐλθεῖν θαλάσσης, δι' ἧς ἦλθον εἰς Κόλχους. Ἑκαταῖος δὲ ὁ Μιλήσιος ἐκ τοῦ Φάσιδος διελθεῖν εἰς τὸν ὠκεανόν, εἶτα ἐκεῖθεν εἰς τὸν Νεῖλον, ὅθεν εἰς τὴν ἡμετέραν θάλασσαν. Τοῦτο δὲ ὁ Ἐφέσιος Ἀρτεμίδωρος ψεῦδός φησιν εἶναι· τὸν γὰρ Φᾶσιν μὴ συμβάλλειν τῷ ὠκεανῷ, ἀλλ' ἐξ ὀρέων καταφέρεσθαι* (cf. fr. 339 M.). Quibus plane adversantur quae ibidem adnotantur ad v. 284 haec: *Ἡσίοδος δὲ διὰ Φάσιδος αὐτοὺς εἰσπεπλευκέναι* (sc. *εἰς τὴν θάλασσαν*) *λέγει. Ἑκαταῖος δὲ ἐλέγχων αὐτὸν ἱστορεῖ μὴ ἐκδιδόναι εἰς τὴν θάλασσαν τὸν Φᾶσιν, οὐδὲ διὰ Τανάιδος ἔπλευσαν, ἀλλὰ κατὰ τὸν αὐτὸν πλοῦν καθ' ὃν καὶ πρότερον, ὡς ⟨καὶ⟩*[1] *Σοφοκλῆς ἐν Σκύθαις ἱστορεῖ.* Ex quibus laqueis quomodo sese expediverint philologi, placet circumspicere: Mueller, qui primum alterum locum genuinum, alterum subditicium habuerat, postea (cf. *F. H. Gr.* II 389) reiecta priore coniectura alterum locum ad Hecataeum Eretriensem pertinere voluit; Clausenus (ad fr. 187) aut ipsum Hecataeum post itinera confecta sententiam mutavisse censuit aut de Hecataeo Abderita iussit cogitari; alii ut pro Hecataeo Herodorus restitueretur, proposuerunt: quae omnia satis strenue refutavit Hollander[2]). Ipse vero cum Gutschmidio lacunam statuendam esse censuit, quam hic ita iusserat expleri, ut scriberetur: *Ἑκαταῖος δὲ ἱστορεῖ μὴ ἐκδιδόναι εἰς τὴν θάλασσαν τὸν Φᾶσιν, οὐδ' ὡς διὰ Τανάιδος ἔπλευσαν ⟨ἀλλ' ὡς ἐκ τοῦ Φάσιδος εἰς τὸν Ὠκεανὸν διῆλθον· οἱ δὲ ὅτι οὐδετέρως ἔπλευσαν⟩ ἀλλὰ κατὰ τὸν αὐτὸν πλοῦν καθ' ὃν καὶ πρότερον*, id quod merito displicuit et Hollandero (l. l. p. 21) et Bergero (l. l. I p. 20 adn. 4). Quae denique Hollander ipse in medium protulit: *Ἡσίοδος δὲ διὰ Φάσιδος αὐτοὺς εἰσπεπλευκέναι λέγει. Ἑκαταῖος δὲ ⟨αὐτῷ συμφωνεῖ, προστιθεὶς διὰ Νείλου αὐτοὺς εἰς τὸ ἡμέτερον πέλαγος ἀφικέσθαι. Ἀρτεμίδωρος δὲ⟩ ἐλέγχων αὐτὸν* e. q. s. cum

1) Ita recte Gutschmidius supplevit: cf. *Kleine Schriften* ed Ruehl I p. 56.

2) *de Hecataei Milesii descriptione terrae quaest. critica* p. 20. cf. Roeper, *Über einige Schriftsteller mit Namen Hekataeus* II p. 24.

plane ad libidinem excogitata sunt, tum totius loci conexum manifesto interrumpunt. Equidem persuasum habeo nil omnino mutandum esse: desumptus erat nimirum alter locus ex Hecataei periodo, alter ex genealogiis istis, sicuti recte iam dispositi sunt a Muellero, nec latet, uter ex illo, uter ex hoc opere originem duxerit; prior profecto operi geographico reddendus est compluribus de causis; enumerat Herodotus (II 20—24) tres opiniones[1]), quas philosophi et geographi Graeci de Nili inundatione habuerant: prima Thaletis est, tertia Anaxagorae; quaeritur cuiusnam auctoris sit altera, de qua haec dicit Herodotus II 21: *ἡ δ' ἑτέρη ἀνεπιστημονεστέρη μὲν ἐστὶ τῆς λελεγμένης, λόγῳ δὲ εἰπεῖν θωμασιωτέρη. ἣ λέγει ἀπὸ τοῦ Ὠκεανοῦ ῥέοντα αὐτὸν ταῦτα μηχανᾶσθαι, τὸν δὲ Ὠκεανὸν γῆν περὶ πᾶσαν ῥέειν.* Communis fere omnium sententia est[2]), Herodotum respicere hoc loco Hecataeum, nec improbanda mihi videtur: protulerat opinionem suam Hecataeus certe (cf. Diod. I 37); convenerat, cum Aegyptum peragraret, cum sacerdotibus Aegyptiis (cf. Herod. II 143. fr. 276 M.); fuerant inter eos, qui narrarent (cf. Diod. l. l.), *ἀπὸ τοῦ περιῤῥέοντος τὴν οἰκουμένην Ὠκεανοῦ αὐτὸν* (sc. *τὸν Νεῖλον*) *τὴν σύστασιν λαμβάνειν*; adde, quod extitit revera fabula Aegyptiaca inter vetustissimas habenda, cuius fundamentum in tali opinione substructum est[3]), unde plane collabitur, quod Berger (I p. 68) affirmavit, illam Graeci geographi sententiam niti tantum potuisse certis observationibus. Denique Diodorus istam coniecturam eisdem verbis refutat, quibus Herodotus ignoti illius geographi: haec sufficiant ad infringendas suspiciones Bergeri, qui compluribus illustrissimi sui libelli locis (I p. 20 adn. 4. p. 67 sq. p. 106 sq.) acerrime refragatur. Vide vero, quantum discrepet ab hac sententia altera illa, quae eidem Hecataeo adscribitur! Elucet, quam bene talia conveniant ei, qui Geryoneum quoque ex Oceani longinqua insula in notas Graeciae ipsius regiones transmigrare iussit! Ex duobus autem his exemplis patere arbitror quorsus spectent quae in Demetrii qui *περὶ ἑρμηνείας* inscribitur libello ex Hecataei genealogiis servata sunt haec verba: *Ἑκαταῖος Μιλήσιος ὧδε μυθεῖται· τάδε γράφω ὥς μοι*

---

1) cf. Bauer, *Histor. Unters. für Arnold Schäfer* p. 73 sqq. Berger l. l. I p. 106 sqq.

2) cf. Clausen (*Hec.* fr. 278). Mueller *F. H. Gr.* I fr. 278 p. 19. Bauer l. l. p. 73.

3) cf. Wiedemann, *Herodots 2. Buch* p. 103 sq.

ἀληθέα δοκέει εἶναι· οἱ γὰρ Ἑλλήνων λόγοι πολλοί τε καὶ γελοῖοι, ὡς ἐμοὶ φαίνονται, εἰσίν (fr. 332 M.). Sed vela contrahenda sunt et omittenda plurima quae in promptu habeo.

Ut autem eorum opinioni, qui ad priorem aetatem Hannonis iter revocare studebant, omne solidum fundamentum praeripiatur, profiteor, me facere cum Meltzero, qui (p. 193) verisimillimum duxit, Hamilcaris patri omnino non Hannoni nomen fuisse, sed Magoni, sicuti tradit Iustinus XIX 1, 1. Quod Herodotus VII 165 Hamilcarem Hannonis filium vocat, id mero librariorum errori tribuere nullus dubito; praesto enim est exemplum Livianum, quo idem vitium traxisse libros manuscriptos luculenter demonstretur: narrat Livius XXI 60, 7, Hannonem cui cis Hiberum provincia erat a Cn. Cornelio Scipione victum captumque esse, cum in eiusdem libri periocha Poenorum dux Mago audiat. Contra ne Herodotum ipsum memoria lapsum esse existimem, impedior ea re, quod accuratissime de Hamilcaris genere et familia edoctus esse videtur Halicarnassensis. Itaque Hanno ille maior e Magonis domo nec non omnino ex historia eiciendus est, quamquam cum familiae originem subtexerent eum receperunt Arnoldus Schaefer (*Mus. rhen.* XV p. 398) et Adolphus Holm (*Gesch. Siz.* II 421).

Dicamne vero, quae ex altera parte contra eos proferenda sint, qui ad IV. usque saeculum Hannonis iter detrudi voluerunt? Vereor, ne *γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας* clamitent! Etenim vel ea de causa nihili essent, quae illi posuerunt, quia cui navigatio vindicetur Hanno tum non floruit, etiamsi non aliae eaeque gravissimae accederent dubitationes. Quid autem tibi videtur de ea re, quod Unger nil protulit, nisi florentissimam rei publicae Carthaginiensis aetatem coepisse inde ab anno ferme 409 quo Siciliam vi et ratione primum essent aggressi? Floruit haud dubie Carthaginiensium civitas iam V. saeculo; namque cum gravissimam illam cladem Himerensem accepissent, desierunt qua erant prudentia vires dispergere periculosaque cum Graecis bella gerere id solum spectantes, ut Libyam ipsam in dicionem suam redigerent et quas firmissimis iam praesidiis tenebant colonias — Ibericas potissimum dico — retinerent. Ita factum, ut quam antehac in bella externa gerenda erogarant pecuniam ad emporia condenda et commercium augendum impenderent; magis autem magisque in dies efflorescentibus mercatura et negotiatione felicissima tum civitatis tempora erant, gravioribus non turbata bellis: quae ipsa res

effecit, ut anno 409 iterum Siciliae urbes aggredi auderent. At haud feliciter pugnaverunt per totum quod sequebatur saeculum, foedissimis cladibus affecti a Dionysio, Timoleonte, Agathocle; saepiens etiam internis seditionibus angustiis premebatur Carthago eadem aetate: memoriam recolo Hannonis Magni et Bomilcaris! Quae cum ita sint, non in ambiguo puto insistimus testimonio ipso Hannonis titulo evidentissime patefieri rati, quam prospera condicione Carthago vel V. saeculo usa sit quantaque abundarit hominum multitudine.

Ut enim ex veterum computo sumamus (cf. Caes. B. Gall. I 29. Dionys. Hal. IX 25), quartam fere colonorum partem effecisse eos, qui arma ferre poterant — quamquam eorum numerum reapse paullo maiorem fuisse recentiores enucleaverunt[1]) — sed ut quartam tantum partem sumamus, habemus 7500 viros qui uno tempore patriam relinquunt. Quod parum probabile esset, si Belochius (l. l. p. 466) iure contendisset, Carthaginem nunquam habuisse plus 200 vel 300 milia incolarum. At hoc vix erit, cui placeat; namque primum, quod Belochius negavit, Livium (epit. 51) recte tradidisse, moenium circuitum fuisse 23 m. p. (i. e. paulo amplius 30000 m.), vide sis quam egregie eius verba ab omni vituperatione defendant quae novissime effossae sunt eorum ruinae, ex quibus Tissotius[2]) ambitum ita computavit:

'Enceinte de la ville proprement dite:

triple défense	4678 m
longueur du mur de mer	3867 „
mur séparant la ville de Megara	3360 „
total:	11 905 m.

Enceinte de Megara:

triple défense	4717 m
mur de mer	13 643 „
mur séparant Megara de la ville proprement dite	3360 „
total:	21 720 m.'

1) cf. Beloch, *Bevölkerung der griechisch-römischen Welt* p. 27. E. Meyer *Handbuch der Staatswissenschaften* edd. Conrad, Elster, Lexis, Löning II p. 443 sqq.

2) cf. *géographie comparée de la province Romaine d'Afrique* I p. 584; cf. ibid. p. 564: *plan de Carthage dressé d'après les levés de Falbe et de Daux.*

Summa igitur subducitur 30 265 m! Unde progressi agedum indagemus incolarum numerum! Effecit Belochius (p. 410) acri disputatione in universum quingenos tricenos vel octogenos homines habitasse quaterna fere iugera in Poenorum urbibus: non minor profecto fuit numerus in interiore Carthaginis parte, ubi *οἰκίαι πυκναὶ καὶ ἑξώροφοι πανταχόθεν ἦσαν* (cf. App. Pun. 128). Forma autem interioris oppidi triangulum est, quod patet in latitudinem 3300 m, 3400 in altitudinem: hinc incolae colliguntur circiter 330 000. Quibus addendi sunt, qui suburbium incolebant, cuius area 6900 fere iugerum est; ut vero multo minorem hic fuisse numerum uniuscuiusque iugeris incolarum concedamus et dimidiam tantum substituamus partem, nihilosecius efficiuntur amplius 500 milia hominum, ita ut si omnium summam comprehendamus numerus incolarum sit 830 000. Quocum concinit, quod Strabonis quidem testimonio (XVII 3, 15 p. 833 C) ante tertium quod vocatur bellum Punicum 700 000 incolae Carthagine numerabantur; namque minorem tum alebat multitudinem urbs quam aluerat quondam ante cruentissima illa bella cum Romanis gesta. Perspicuum vero hinc est quam commode vel V. saeculo octo fere milia civium uno temporis momento Carthaginienses in colonias potuerint emittere.

Attamen obiciat fortasse quispiam, omnino non Carthaginis ipsius incolas emissos esse, sed imperio eorum subiectos vicinarum urbium cives. Cui ita obviam ibimus, ut quaenam sint *Λιβυφοινίκων πόλεις* quaeramus. Ut in paucis subsistam, optime Mommsenus (I 489 sq.), cui subscripsit Meltzer (p. 60 sq. p. 436 sqq.), Moversii (II 2, 412—35) aliorumque molimina aggressus quae inter Carthaginem Libyphoenicesque intercedebat rationem comparabat cum ea quae erat inter Romanos et Latinos. Habebat Libyphoenicum vox primum ethnographicam, si fas est ita loqui, vim et distinguebat omnes qui Libyam incolebant Phoenices a Syrophoenicibus (cf. Luc. deor. conc. 4). Mox vero sicut Roma Latinorum ita Carthago Libyphoenicum obtinuit primum principatum, dein imperium, id quod ratum iam factum erat cum primum illud inter Romanos et Carthaginienses iceretur foedus anno 509; fuerunt tum Libyphoenices *Καρχηδονίων ὕπαρχοι, ὅσοι τοῖς αὐτοῖς νόμοις χρῶνται* (cf. Polyb. III 22). Num autem ea aetate, qua Carthago ceteraeque urbes aequo inter se iunctae erant foedere, universi Libyphoenices communi consilio condiderint colonias, in tanta obscuritate divinari nequit. At uti a Romanis foedere Latino diu

iam soluto Latini nominis coloniae condebantur — 'seit der Vernichtung des latinischen Bundes 338 besteht die Mehrzahl der Ansiedler in den Kolonieen latinischen Rechtes aus römischen Bürgern; das ist mehrfach bezeugt und auch an sich evident' ait Belochius[1]) — ita Libyphoenicii iuris colonias soli emiserunt Carthaginienses eum in modum, ut novae hae urbes eadem condicione uterentur atque veteres illae Libyphoenicum, quae τοῖς Καρχηδονίοις ἐκοίνουν ἐπιγαμίας (cf. Diod. XX 55). Itaque vix in temeritatis crimen incurram, quod affirmo, cives Carthaginienses in Libyphoenicii nominis colonias profectos esse, nec causa in obscuro est, cur hoc usu venerit; fortassis enim iure transferuntur ad has Carthaginiensium urbes quae de Romanorum coloniis exposuit Belochius haec (p. 151): 'Wenn Rom fortfuhr, seinen neugegründeten Kolonieen latinisches Recht zu erteilen, so kann diese Maſsregel unmöglich eine Zurücksetzung der Kolonisten gegen den Rest der römischen Bürgerschaft zu bedeuten gehabt haben. Der Grund ist vielmehr, daſs die Verleihung des römischen Bürgerrechts an die weitentlegenen Kolonieen praktisch wertlos gewesen wäre.'

Cum colonorum autem numero arte necessario coniunctus est numerus navium. In quo aliquid esse turbatum, iam Osannus subodoratus est (cf. l. l. p. 537); nam tantum abest, ut Moversii (III 1, 156) computatio desumpta ex Procopii B. Goth. IV 22 p. 573 stare queat, ut ridicula paene videatur; neglexit ille, ut alia mittam, quod apud Procopium ne una quidem syllaba indicatur navem istam mythicam fuisse πεντηκόντορον; audit μονήρης: at μονήρεις erant etiam ἑκατόντοροι (cf. Poll. s. v.)! Quot vero homines una πεντηκόντορος capere potuerit, ex Herodoto discimus qui VII 184 dicit: προσθήσω δ' ἔτι τούτῳ καὶ τῷ προτέρῳ ἀριθμῷ τοὺς ἐκ τῶν πεντηκοντέρων, ποιήσας, ὅτι πλέον ἦν αὐτῶν ἢ ἔλασσον, ἀν' ὀγδώκοντα ἄνδρας ἐνεῖναι: itaque sexaginta πεντηκοντόροις triginta milia hominum nullo pacto potuerunt transportari. Neque vero est, cur dubitemus, quin πεντηκοντόροις usus sit Hanno: etenim quamquam ea aetate τετρήρεις invenisse iam videntur Carthaginienses (cf. Aristot. ap. Plin. VII 87) — τριήρεις diu adhibuerunt (cf. Clem. Alex. I 16, 27) — tamen πεντηκοντόρων usus posterioribus quoque

1) *Ital. Bund* p. 151. cf. Liv. X 21, 10. Dionys. Hal. VII 13. Cic. de dom. 30, 78. Mommsen, *Röm. Staatsrecht* III 1 p. 52/3.

temporibus apud eos mansit (cf. Diod. XIV 73, 2. Polyb. I 73, 2). Dein id valde memorabile, quod huius generis naves maxime omnium idoneas aptasque fuisse ad occiduam Libyae oram praeternavigandam inde cognoscimus, quod qui altero a. Chr. n. saeculo Hannonem imitatus iter in longinquas has terras suscepit Eudoxus, postquam alius structurae navibus vectus rem male gessit, iterum vela in altum daturus aedificavit sibi *στρόγγυλον πλοῖον καὶ μακρὸν πεντηκόντορον, ὥστε τῷ μὲν πελαγίζειν, τῷ δὲ πειρᾶσθαι τῆς γῆς*: ac profecto Hannonem omnes orae anfractus secutum esse supra vidimus. Aptissimum vero quod afferatur Phocaeorum exemplum est, qui cum Cyrus patriam urbem oppugnaret emigrare constituerunt: itaque *κατασπάσαντες τὰς πεντηκοντέρους, ἐσθέμενοι τέκνα καὶ γυναῖκας καὶ ἔπιπλα πάντα, πρὸς δὲ καὶ τὰ ἀγάλματα τὰ ἐκ τῶν ἱρῶν καὶ τὰ ἄλλα ἀναθήματα, χωρὶς ὅ τι χαλκὸς ἢ λίθος ἢ γραφὴ ἦν, τὰ δὲ ἄλλα πάντα ἐσθέντες καὶ αὐτοὶ ἐσβάντες, ἔπλεον ἐπὶ Χίου* e. q. s. (cf. Herod. I 164). Duarum igitur rerum optio datur: aut corruptus est numerus aut praeter sexaginta illas *πεντηκοντόρους* maiorem quendam numerum *ὁλκάδων* secum duxit Carthaginiensium imperator, quibus illae quasi praesidio erant; quod duplici de causa magnopere displicet. Primum enim ipsae *πεντηκόντοροι* ea aetate naves onerariae factae nisi necessario tempore belli usui non iam serviebant; dein autem magnis illis navigiis occidentalem Libyae oram haud facile legi Eudoxi naufragio luculenter demonstratur. Refugiendum ergo est eo, ut numerum corruptum esse censeamus; genuinus nescio an hac ratione restituatur: si eundem fere numerum hominum, quem Herodotus usitatum esse dixit (83), ad Hannonis naves referimus, flagitantur 360 *πεντηκόντοροι*; at Herodoti navigia ad bellum gerendum expedita erant, non onusta mulieribus, infantibus, saburra: potuerunt igitur Carthaginiensium *πλοῖα* ampliorem recipere hominum numerum, unde propono ut scribatur *πεντηκοντόρους* ⟨*διακοσίους*⟩ *ἑξήκοντα ἄγων* et omnia iam bene fluunt: conscenderant tum unamquamque navem ca. 115 homines! Quam facile vero C (qua nota Graeci numerum ducentenarium solent significare) excidere potuerit, cum quae antecedit vox (*πεντηκοντόρους*) eadem littera terminetur, in aperto est. Ut autem omnis scrupulus removeatur, moneo Carthaginienses hac ipsa aetate optime tot *πεντηκοντόρους* emittere potuisse; namque sat multas iam proximis annis aedificarant triremes et quadriremes, ut Graecis mari pares

essent. Dein vero quantae saepius ab eis ornatae sint classes, quis nescit? Ut pauca ponam exempla dubitationibus non obnoxia — nam nonnumquam numeri (cf. Diod. XI 1, 21; XIV 54) nimii sunt quam ut fides eis habeatur — anno 409 Hannibal in Siciliam proficiscitur 60 navibus longis et 1500 onerariis (cf. Diod. XIII 54)[1]), anno 406 Hannibal et Himilco eodem secum abducunt 120 naves longas et 1000 onerarias (cf. Diod. XIII 80)[2]), denique anno 396 eidem Himilconi 400 longae et 600 onerariae traduntur (cf. Diod. XIV 54)[3]). Nec minores classes saepius etiam in Punicis quae dicuntur bellis a Carthaginiensibus coactas esse res est notissima.

Iam vero omnia quae ad Hannonis titulum explicandum aliquam vim habent explanata esse existimo: id unum operae pretium videtur stringere, num aliunde de Hannone accuratiora comperiamus. At frustra puto operam conteremus; nolo enim cum Schaefero (l. l. p. 397), Meltzero (p. 228. 504), Gutschmidio[4]) expeditionis ducem cum leonum illo domitore, de quo Plinius (VIII 16, 55), Plutarchus (praec. rei p. ger. III p. 211), Aelianus (hist. an. V 39) narrant, componi. Traditur eadem fabula de Hasdrubale quodam (cf. schol. ad Max. Tyr. diss. II 3) atque Maximus Tyrius ad *νεανίαν Καρχηδόνιον* nescio quem eam revocat; itaque aperte haec omnia fide historica carent neque aliud quid tota ista narratio est, nisi fabula quaedam aetiologica, qua gentis cuiusdam Carthaginiensis cognomen explicetur. Eadem haec suspicio nata est Gutschmidio (cf. l. l. p. 84 adn. 1) de simili fabella, quam Aelianus (v. h. XIV 30) de Hannone avium domitore refert, Maximus Tyrius (diss. XXXV 4; cf. schol. ad Dio. Chrys. I S 3^d M.) de Apsepha, Libyum rege: vides ex ipsa relationis inconstantia, quantum talibus nugis tribuendum sit. Nec firmius illorum opinioni praesidium repetitur ex Diodori XIII 43: sane ne ego quidem veram esse arbitror quam Diodorus affert causam, cur Gisgo exulaverit; sed quae fuerit nequit constitui. Cur vero Aristotelis verba (polit. V 7 p. 1309 a et V 12 p. 1316 a) non ad Hannonem Magnum revocaverit Schaefer, quem regnum appetiisse constat (cf. Iustin. XXI 4; cf. XXII 7. 10), equidem non assequor. Id solum habet, cur mihi placeat, quod

1) cf. Meltzer p. 258.
2) cf. Meltzer p. 268 sq.
3) cf. Meltzer p. 291.
4) *Kleine Schriften* ed. Ruehl II p. 84.

Schaefer (p. 399) et Meltzer (p. 228) exposuerunt contra Moversium (II 1, 474) et Mommsenum (I 491), Dionem Chrysostomum (XXV; I p. 522 R.) Magonis nepotem, navigationis praefectum, respicere, cum dicat: ***Καρχηδόνιος δὲ Ἄννων μὲν ἀντὶ Τυρίων ἐποίησε Λίβυας καὶ Λιβύην κατοικεῖν ἀντὶ Φοινίκης καὶ χρήματα πολλὰ κεκτῆσθαι καὶ συχνὰ ἐμπόρια καὶ λιμένας καὶ τριήρεις καὶ πολλῆς μὲν γῆς, πολλῆς δὲ θαλάττης ἄρχειν.***

Atque haec quidem hactenus! Ut autem futurae disputationi certa fundamenta iaciantur, paucis oportet de eis praemonere quae post Hannonis expeditionem in occiduam Libyae oram suscepta sunt itineribus: quorum quantum scimus perexiguus erat numerus.

Qui vero primus post Hannonem occidentalem Libyae oram accuratius perscrutatus est, Euthymenes fuit Massiliensis, notus ea re, quod de Nili fontibus fabulosam rettulit narrationem[1]). Censent plerique, eum aequalem fuisse Pytheae, veluti Ukertus (I 1, 113), Muellenhoffius (I 180), Kiepertus (p. 4), quibus assentitur etiam Meltzer (p. 507), cum ex Ephoro eum hausisse sibi persuaserit[2]). Ut hinc exordiamur, manifesto huic adversatur, quod Ephorus ipse (cf. Ael. Arist. II 471) Euthymenem de intricatissima illa quaestione quae erat de Nili capite adiit eiusque risit hariolationes. Perspexit hoc recte Bauer[3]), qui ut de Euthymenis aetate certius existimaretur auxilium aliunde petivit. Enumeratur enim ab anonymo Florentino (post Athen. II)[4]) Euthymenes ante Herodotum; verum tamen, quaenam huius ordinis fides sit, inde intellegitur, quod ibidem Callisthenes laudatur ante Democritum. Ac ne ex Seneca quidem (nat. quaest. IV 2, 17—30), qui Euthymenem ponit post Thaletem, satis tuto coniecturam facias; nam quod ille pollicetur, se eos qui de Nili incrementis scripserint auctores chronologico recensiturum esse ordine, ita ut ab antiquissimis incipiat, his utendum certis cum cautionibus; scilicet haec lex ita violatur, ut antiquissimo cuique statim adnectantur ii, quorum sententiae simili exstructae erant fundamento: ita Euthymenes una cum Thalete laudatur, non quo ex temporum ratione eum sit subsecutus, sed

1) cf. Mueller, *F. H. Gr.* IV p. 408.
2) cf. Goebel p. 16.
3) *Histor. Unters. für Arnold Schäfer* p. 74.
4) cf. Diels, *doxogr.* p. 228.

quod uterque etesias inundationum causas esse affirmaverat. Quamquam ea in re differebant, quod Thales etesias Nilo resistere et cursus eius acto contra ostia mari sustinere opinatus est, Euthymenes autem, dummodo ex pessimis quae de eo accepimus narrationibus veram eius eliciamus sententiam, lacum quendam esse statuebat prope oceanum occidentalem a meridie septentrionem versus spectantem, quem etesiarum tempore instantibus ventis maris fluctibus impletum in mediterranea defluere credidit (cf. Athen. II 87)[1]. Quando autem Euthymenes vixerit, ex Seneca non discimus. Quod vero Berger (I p. 109) posuit, Euthymenem Herodoto quoque fortassis maiorem esse atque Massiliensi tribuendam alteram istam sententiam, de qua supra pluribus egimus (cf. Herod. II 21), facile redarguitur; si hoc ita esset, non potuit Herodotus ipse dicere II 31 de Nilo: *ῥέει ἀπὸ ἑσπέρης τε καὶ ἡλίου δυσμέων. Τὸ δὲ ἀπὸ τοῦδε οὐδεὶς ἔχει σαφέως φράσαι· ἔρημος γάρ ἐστι ἡ χώρη αὕτη ὑπὸ καύματος.* Nil igitur relinquitur, nisi ut Euthymenem priori IV. saeculi parti vindicemus ideo, quia Ephorus et Aristoteles[2] primi eius mentionem fecerunt: tertium denique eiusdem aetatis auctorem, qui Euthymenem usurpasse videtur, infra adiungam. Idem autem vehementer suadet ea res, quod melius certe quam V. saeculo tum potuerunt Massilienses per fretum Gaditanum in Atlanticum egredi oceanum (quamquam perpaucis navibus haec itinera inita esse, bene Meltzer p. 236 monuit contra Muellenhoffium I 311; cf. Polyb. XXXIV 5, 7 = Strab. I 4 p. 104), cum Carthaginienses bellis Siciliensibus occupati essent. Videtur ergo non multum ante Aristotelis Ephorique tempora Euthymenis in publicum prodisse libellus: namque quae vidit quaeque vidisse sibi visus est Massiliensem litteris mandasse idem Aelius Aristides testis est (p. 475): *μετὰ πολλῶν δ' ἀφικόμενον μόνον οὐκ εἰκὸς ἦν κοσμῆσαι τὸν λόγον, οὐ μὴν οὐδ' εἰς βιβλίον ἐγγράφειν ὡς ἀποχρῶν οὐδ' ὅσον πρὸς τοὺς ἐπιτηδείους διηγήσασθαι, ἀλλὰ δημοσίᾳ φράσαι καὶ ἀναγγεῖλαι.*

Superest, ut quousque Euthymenes progressus sit quaeratur: attamen malo hanc rem postea tractare; nunc satis habeo, posuisse hanc sententiam, Massiliensem ultra Cernen insulam iter non continuasse; probare eam infra studebo.

---

1) cf. Berger I p. 107.
2) cf. Bauer p. 75 adn. 1.

Proximus est Polybius, qui sat multas orbis partes peragravit, cum quanti momenti esset rerum scriptori accurata terrarum notitia haud ignoraret. Ac perinde Libyam eum adisse certo scimus; secutus est P. Cornelium Scipionem et in Carthagine oppugnanda et expugnanda eum adiuvit (cf. Pol. XXXIX 3, 4, 5): cum vero lentior esset munitae urbis oppugnatio, classe a Scipione Aemiliano accepta Libyae scrutandae causa magnam eius partem circumvectus est (cf. Plin. V 1, 9). Iam cum (XXXIX 13, 14) ilico post deletam Carthaginem in Graeciam se redisse affirmet, ubi Corinthum vastatam et funditus eversam vidit, cumque ex altera parte non verisimile sit, eum Carthaginem postquam obsidio vix coepit reliquisse — nempe initio Romanorum progressus tam prosperi non erant, ut securus potuerit ab exercitu discedere —, optimo iure Werner in dissertatione sua, quam conscripsit de Polybii vita et itineribus (p. 29), anno 147 hoc iter Africanum assignavit. Quo itinere quin diligenter exploraverit fretum Gaditanum et quae circumiacent regiones dubitationem non admittunt qui de hoc tractu sunt operis Polybiani loci. Hariolatur autem Werner, quod (p. 29) eum longius provectum esse negavit; immo accuratissimas notas Plinius (V 1) debet Polybio, quem ipse compluriens auctorem laudat, ac ne merita laude fraudetur Megalopolitanus audias quae bene monet Vivienus de St. Martin (p. 338): 'L'exactitude des mesures donne lieu de penser qu'elle reposait sur quelque chose de mieux qu'un simple estime.' Si vero quis autumaverit, inde non consectarium esse, Polybium ipsum occidentalem Libyae oram praeternavigasse, ei respondeo, Polybium omnes qui de exterarum gentium situ et sedibus scripserant summa in suspicione habuisse, quae tanta fuit, ut nonnullos geographos veluti Timaeum maxima afficeret iniuria: quae cum ita sint, num probabile, eum de remotissima Libyae regione cuilibet credidisse? At multis verbis omnino non opus erat; nam ipse gloriatur III 59: *ὑπεδεξάμεθα τοὺς κινδύνους τοὺς συμβάντας ἡμῖν ἐν πλάνῃ τῇ κατὰ Λιβύην καὶ κατ' Ἰβηρίαν, ἔτι δὲ Γαλατίαν καὶ τὴν ἔξωθεν ταύταις ταῖς χώραις συγκυροῦσαν θάλατταν, ἵνα διορθωσάμενοι τὴν τῶν προγεγονότων ἄγνοιαν ἐν τούτοις γνώριμα ποιήσωμεν τοῖς Ἕλλησι καὶ ταῦτα τὰ μέρη τῆς οἰκουμένης.* Certissimum autem est secundum ea quae supra dicta sunt Polybium assecutum esse hodiernum promunturium *Draa*: hucusque enim accuratae eius mensurae pertinent; potest hinc progressus esse usque ad

septentrionalem deserti finem. Quod vero Cernen VIII stadia a terra continente dissitam facit ex adverso Atlantis montis dilucide id ostendit, eum, etsi non nimis falsum insulae assignat situm, tamen non significasse eandem, quam quondam *ἐν μυχῷ τινος κόλπου* reppererat Hanno, ita ut Carthaginiensium colonia iam Polybii temporibus ab indigenis diruta fuisse videatur. Unum denique tamquam certissimum addo, Polybium deserta non solum non superasse, sed ne coepisse quidem praeternavigare: quod si secus esset, non tam horribilis fuisset posteriorum de his terris ignorantia.

Ut autem omittam Statium Sebosum, quippe qui insulis potissimum Atlanticis explorandis operam navaverit, unus tantum restat, cuius nomen historia servavit: Eudoxum dico Cyzicenum, de quo multus est Posidonius (ap. Strab. II 3, 4 p. 98 [1])). Qua navigaverit aetate, certa memoria constat; ex ultimo itinere non iam reverterat, cum Posidonius Gadibus commoraretur[2]). Iam vero quousque penetraverit nequit coniectura colligi: magnopere autem dubito, num longe progressus sit; nimirum non multum dissentio a Strabone, qui vehementer invehitur in Posidonium, quod inani captus credulitate Eudoxi fabellis quae omnem fidem excedant animum adverterit. Videtur enim mihi quoque[3]) Eudoxus homo fuisse variis casibus iactatus, vanus et temerarius.

Ad finem huius conspectus pervenimus: quae laudem viatorum nomina non iam habeo. Quamquam non desierunt posterioribus temporibus mercatores et negotiatores hanc petere oram (cf. Ael. Aristid. II p. 474 D.), quam fortassis etiam unus alterve vir doctus visit; nam sunt in Ptolemaei tabulis quaedam, quae ex eis quos modo enumeravi auctoribus non potuerint hauriri. At certe ne eis quidem contigit, ut praeterito deserto quae ab eo meridiem versus patebant terras proximi post Hannonem Carthaginiensem adirent: *Saharae* vastae solitudines gravissimum impedimentum intulerunt nautis, quod ante medii aevi Portugallos vicisse laus est Hannonis propria!

1) cf. Bake, *Posid. reliq.* p. 101.
2) cf. Goebel p. 95.
3) cf. Mannert I 2, 25.

Caput III.

Restat una commentationis nostrae pars, ut quo tempore quaque via Hannonis periplus Graecis innotuerit quantamque apud posteros habuerit vim atque auctoritatem quaeratur.

Non poterit vero tuto institui haec via, nisi ita, ut quae omnino a pristinis temporibus ad recentissima usque de occidua Libyae ora tradita accepimus examinentur, numquid eruatur de eorum fontibus, praeterquam quod vetustissimum auctorem, qui fusius de occidentali litore egit, Hecataeum Milesium dico, nostro iure neglegemus, e cuius amplissimo opere tria tantum fragmenta ad nostram pertinent regionem, duo quidem servata a Stephano Byzantio, unum Herodiani opera ab olivione vindicatum. Sunt haec: 1) *Θρίγκη πόλις περὶ τὰς στήλας. Ἑκαταῖος Ἀσίᾳ* (cf. Steph. Byz. s. v. *Θρίγκη*); 2) *Θίγγη πόλις Λιβύης. Ἑκαταῖος περιηγήσει* (cf. Steph. Byz. s. v. *Θίγγη*); 3) *Δούριζα λίμνη παρὰ τὸν Λίζαν ποταμόν. Ἑκαταῖος περιηγήσει Ἀσίας· 'τῇ δὲ λίμνῃ Δούριζα οὔνομα* (cf. Herod. *περὶ μονήρους λέξεως* II 31, 25; cf. fr. 325. 326. 328 M.). De illis Stephani glossis supra egi; de Herodiani loco pauca habeo, quae addam: videlicet recte coniecerunt viri docti, *Δούριζαν λίμνην* esse hodiernam *Merdjam Ras ed-Dura*[1]); quod solum obstare videbatur, quominus haec opinio fidem inveniret, non difficile est ad tollendum: audit fluvius ille, cui *Δούριζα λίμνη* adiacet, *Λίζας*, cum vulgare eius nomen sit *Λίξος*, quam formam in Herodiani verbis restitui iussit Lehrsius[2]). Ego maluerim una littera mutata scribere *Λίξαν*, quam vocem usu receptam esse demonstratur Stephani Byzantii testimonio (cf. s. v. *Λίξα*)[3]). Neque mirum, Hecataeum de occiduis regionibus tam accuratam habuisse notitiam. Memineris

---

1) cf. Goebel p. 5.

2) *Herodiani scripta tria* 1848 p. 106.

3) cf. Mueller *g. gr. m.* I p. 92; idem vidit Mueller ad Ptol. IV 1, 2 p. 573.

enim quaeso, quod supra tribus verbis monui, VI. a. Chr. n. saeculo Graecis nautis navigationem ad Hispaniam et finitimas civitates liberam fuisse.

Verumtamen quae prisca illa aetate comperta habebantur, iniquo fato accidit ut non ita multo post, cum Carthaginienses maris Tyrrhenici et Iberici imperium invasissent, oblivione tegerentur. Itaque non habes, cur Herodoti stupeas ignorantiam, qui paucissima de occidentali Libya tradidit eaque aut ambigua aut aperte falsa, veluti Soloenti promunturio ineptum assignavit locum; quae autem de populorum sedibus narrat et moribus, Carthaginiensibus se debere ipse saepius profitetur (IV 42. 43. 184. 196).

Transimus ad Scylacem, cuius descriptionem supra perlustravimus: apparuit, frustra multos ea in re desudasse, ut confusam eius relationem a Muelleri iurgiis defenderent. Caveas autem quaeso, ne cum Muellero totam hanc paragraphum eicias, quasi posteriore demum aetate aliunde adnexa sit: posteriora enim tempora subindicare geographicam narratorum rationem; non novisse scriptorem Libyae oram nisi usque ad Lixum fluvium et initium deserti; cum ultimo autem litoris termino composuisse eum etiam Cernen insulam, de cuius situ similiter ac de Carthaginiensium mercatura parum accurata auctorem vel accepisse vel finxisse. Ita Mueller. At dubitationem non relictam esse credo, quin haec iniuria criminetur de Scylace vir ille doctissimus: nam si discedis ab illo errore ipsius scriptoris festinantia et neglegentia nato, aptissime omnia concilientur cum hodierno rerum statu. Quod vero Scylax multa praebet quae alioquin non leguntur, adeo non suspicio hac in re subest, ut quam praeclarum exscripserit fontem cognoscamus: de quo num certius possit existimari inquirere tanti profecto est.

Difficilius autem quam quaeritur respondetur. Debemus disputationis initium inde repetere, ut statuamus, eum posteriorem esse Hannone[1]): etenim commemorantur Thymiateria urbs ab Hannone demum condita et quae incognita fuit ante Carthaginiensium expeditionem Cerne insula; accedit quod depingitur ara illa a Carthaginiensium imperatore Neptuno quondam extructa. Quocum convenit, quod cum Scylacis auctor occiduam Libyae oram praeternavigaret Carthaginienses in Cerne insula commercia cum adiacentibus Libyae populis iam nexuerant et mercaturae celebritas

1) cf. Goebel l. l. p. 13 sq.

quaedam erat atque frequentia[1]). Ab altera vero parte, ut de tempore rem ad liquidum perducam, Scylacis fons anterior est ea aetate, qua Hannonis periplus Graecis innotuit, i. e., sicuti infra ostendetur, anterior exeunte quarto saeculo: quod tam verum sane est, quam planum, tametsi non desunt, qui contra dicant[2]). Etenim si res aliter haberet, nec potuit Scylax narrare, aram illam ab Hannone in Soloente promunturio aedificatam Daedali opus esse videri, et Carthaginiensis periplus luculentum testimonium erat haudquaquam ultra Cernen insulam propter brevia et coenum algamque mare navigabile non esse. Unde praeterea, quaeso, ea fluxerunt in Scylacis relationem, quae apud Hannonem desiderantur? Iam vero istud, ut dicam quod sentio, recte perspectum est a Muellero[3]), descriptionis ubertatem a succincta maris interni expositione toto coelo discrepare nec non omnino a nautici cuiusdam libri consuetudine ac ratione: huc quadrare non abnuerim quae de Neptuni ara leguntur, quippe cum a nautis conspiciatur et signum eis sit haud spernendum (cf. Scyl. § 35), et quae exhibentur de Phoenicum mercatura: quae autem maiorem fere paragraphi partem efficiunt, narrationes istae de Aethiopum moribus, vestitu, ornatu quaeque adduntur de eorum victu ac de institutis publicis festisque diebus, quid, quaeso, haec omnia commune habent cum libro quodam ad nautarum usum composito? Concedo igitur, totam hanc particulam a vetere maris interni periplo alienam esse; nego, Muellerum ex recta hac observatione rectam fecisse conclusionem, qui cum omnia inscite conscripta et ex pannis hinc inde arreptis consuta esse censeret, interpolatoris manum agnoscere sibi visus est atque molestum hoc additamentum secludi voluit. Nos aliter iudicabimus: nimirum non a nescio quo sciolo, sed ab eo ipso viro docto, qui altera saeculi IV. parte retractavit veterem periplum et adaptavit praesenti tunc rerum statui orbisque terrarum cognitioni, quae nunc quidem de occidua Libyae ore leguntur addita esse arbitror. Non gravate autem omnes largiantur[4]), manasse Scylacis narrationem e graeco scriptore: dicitur enim Neptuni ara a Daedalo fabricata esse, qua re mythologiae Graecorum cognitio proditur,

1) Quae Goebelius p. 14 de Neptuni ara deque Carthaginiensium coloniis iamiam deletis exponit, futtilia sunt.

2) cf. Entz p. 4 adn. 1.

3) *proleg.* p. XLII; aliter sentit Goebelius (p. 10), non recte.

4) cf. Goebel p. 15.

eodemque pertinet, quod ludi isti qui *Χόες* audiunt laudantur. Iam vero tempus est reminiscamur quae supra exposita sunt de eis auctoribus qui omnino de occidua Libyae ora scripsisse videantur: necessarium enim est, ad unum ex eorum numero referamus quae Scylacis periplo continentur vel ideo, quod tantam illius litoris prae se ferunt notitiam, ut nequierit ea componere nisi qui ipse Mauretaniae oras pervestigavit: quod si concedis, ex temporum ordine nil relinquitur, nisi ut de Euthymene cogitemus. Quamquam eo non pervenimus, ut quod probabilissimum est etiam certa ratiocinatione efficiamus: scilicet tenuissima Euthymenei libelli fragmenta — ne dicam unum — aetatem tulerunt eaque maximam partem foede depravata. Etenim cum tantopere eius sententiam detorserint posteriores, ut dulcem maris Atlantici saporem eum dixisse nugentur (cf. Ael. Arist. II p. 471 sqq. Sen. nat. quaest. IV 2. Pl. Plat. phil. IV 1. Lyd. de mens. IV 68 p. 262), uno tantum loco in meliorem statum redigimur (cf. Athen. II 87), ita ut aliqua saltem cum probabilitate quaenam fuerit eius opinio constituatur[1]): nempe videtur Nili originem deduxisse e lacu quodam prope Atlanticum mare sito eam ob causam, quod extabant ibi plantae et inveniebantur animalia, quae vulgo Nili propria esse credebantur a veteribus, quem Euthymenis errorem non demirabitur qui meminerit, non ita multo post Alexandrum Magnum idem peccavisse; namque *Νέαρχος τὸ ζητούμενον πρότερον ἐπὶ τοῦ Νείλου, πόθεν ἡ πλήρωσις αὐτοῦ, διδάσκειν ἔφη τοὺς Ἰνδικοὺς ποταμούς, ὅτι ἐκ τῶν θερινῶν ὄμβρων συμβαίνει. Ἀλέξανδρον δ' ἐν μὲν τῷ Ὑδάσπῃ κροκοδείλους ἰδόντα, ἐν δὲ τῷ Ἀκεσίνῃ κυάμους Αἰγυπτίους, εὑρηκέναι δόξαι τὰς τοῦ Νείλου πηγὰς καὶ παρασκευάζεσθαι στόλον εἰς τὴν Αἴγυπτον ὡς τῷ ποταμῷ τούτῳ μέχρι ἐκεῖσε πλευσόμενον* (cf. Strab. XV 1, 25); neque alio nixus fundamento Iosephus (bell. Iud. III 10, 8) Nili caput in Caphernao lacu se recognovisse gloriatus est. Cum vero praeterea de Euthymenis opere nil nobis innotuerit, negari sane nequit, illius doctrinae vestigia apud Scylacem deprehendi nulla, nisi quod in fine haec adiciuntur verba: *λέγουσι δέ τινες τούτους τοὺς Αἰθίοπας παρήκειν συνεχῶς οἰκοῦντας εἰς Αἴγυπτον*: eandem hanc sententiam professus erat Ephorus, qui totam meridiem habitatam fecit ab Aethiopum populo, ὅς *δοκεῖ παρατείνειν ἀπὸ ἀνατολῶν χειμερινῶν*

1) cf. Berger I p. 107.

μέχρι δυσμῶν τῶν βραχυτάτων (cf. Cosmae topogr. christ. p. 148. fr. 38 M.), unde hauserunt Scymnus Chius (v. 168. 175) et Plinius VI 30, 197. Ephorus autem certe adhibuit Euthymenem; itaque nil obstat, quominus idem statuatur de Scylacis retractatore, qui fortassis non ipsum inspexit Euthymenem, sed alium auctorem, qui quae veris immixta mira repperit in Massiliensis relatione non receperat. Hoc igitur, quamquam non sum nescius, quantas habeat cautiones et dubitationes, omnium verisimillimum esse duxerim.

Neque vero in minus obscuro et lubrico tramite reptamus potius quam pedetemptim ingredimur de Ephoro inquirentes. Videlicet res ideo est intricatissima, quod ex quinto eius libro, quo Asia et Libya copiose describebantur quae ad occidentalem oram referenda sunt aut referenda esse videntur duo tantum nobis praesto sunt fragmenta: altero commemoratur *Καρικὸν τεῖχος, πόλις Λιβύης ἐν ἀριστερᾷ τῶν Ἡρακλείων στηλῶν* (cf. Steph. Byz. s. v. *Καρικὸν τεῖχος* fr. 96 M.), alterum est de Cerne insula: 'Ephorus auctor est a Rubro mari navigantes in eam non posse propter ardores ultra quasdam columnas (ita appellantur parvae insulae) provehi' (cf. Plin. VI 31, 199. fr. 96a M.). Haec profecto non satis causae praebent, cur Ephorum Hannonis periplum novisse credamus. Commodissime enim urbis illius nomen comperire potuit ex Euthymene, quem certe in usum suum convertit neque haec coniectura refutatur ea re, quod Scylax a Soloente statim transilit ad Lixionem omissis quae intermedia erant oppidis. Tantum vero uno ore concedi existimo, omni vi et auctoritate carere alterum illum locum Plinianum; nam ut Plinii verbis fidem tribuamus — accidit ei, qua erat neglegentia, ut Cernen orientalem et occidentalem confunderet — quod descripsi Ephori enuntiatum necessario revocandum est ad eam insulam, quae in ipso Eoo[1]) mari contra sinum Persicum ex adverso Aethiopiae sita fingebatur. Quae autem sunt, quibus Muellenhoffius (I p. 89 adn.) evincere studebat, Ephorum inspexisse Hannonis periplum[2])? Utitur vir summus hac ratiocinatione: ex Ephoro fluxisse ea Plinii verba, quibus VI 30, 197 docet Aethiopiam patuisse ab oriente hiberno ad occidentem hibernum, itemque quae in § 198 principio de Cerne insula proferuntur (quamquam hic non Ephorus solus laudatur, sed uno eodemque

1) Ita recte Detlefsenus VI 31, 198.

2) Muellenhoffius omnia persuasit Meltzero (l. l. p. 507).

enuntiato Timosthenes, Eudoxus, Clitarchus!); ergo ex eodem etiam quae media interponantur dērivanda esse haec: 'Meridiano cardine silvae hiberno maxime virent, a media eius parte imminens mari mons excelsus aeternis ardet ignibus, Theon Ochema dictus a Graecis; a quo navigatio quatridui promunturium quod Hesperu Ceras vocatur confine Africae iuxta Aethiopas Hesperios. Quidam et in eo tractu modicos colles amoena opacitate vestitos Aegypanum Satyrorumque produnt.' At vero qui satis reputaverit, quomodo Plinius quae ex variis variorum scriptis non sine molestia comportaverat discerpta miscuerit, quo iure quave probabilitate ista Muellenhoffii conclusio fiat, facile intelleget[1]. Accedit, quod, sicuti infra demonstrabo, comparatis inter se Plinii et Melae (III 94. 95) relationibus lapsum esse Muellenhoffium pro certo colligitur. Reiecta autem Muellenhoffii coniectura simul perspicitur errore teneri Meltzerum, qui (p. 506/7) opinatus est Ephorum Hannonis periplum primum detexisse et paucis praefatum in opus suum recepisse. Quae suspicio vel ideo mihi magnopere displicet, quod non liquet, quomodo, si res ita esset, usque ad Plinii aetatem prorsus ex hominum oculis evanescere potuerit iste libellus: nam Ephori opus etiam recentioribus temporibus in omnium manibus erat et summa fruebatur auctoritate. Itaque ut eorum quae exposui summam comprehendam, Ephorum de occidua Libyae ora nil debere Hannoni, omnia Euthymeni Massiliensi persuasum habeo.

Neque etiam Aristoteli, viro prae ceteris geographiae perito[2], Hannonis periplus ante oculos fuisse videtur: certe, tametsi commemorari apte pluriens potuit nullo loco eius mentio iniecta est; perperam enim ii ratiocinantur qui[3]) contrarium concludere audent ex hisce meteorologicon verbis (I 13 p. 350 b): *Ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τὴν Λιβύην οἱ μὲν* (sc. *ποταμοὶ*) *ἐκ τῶν Αἰθιοπικῶν ὀρῶν, ὅ τε Αἰγὼν καὶ ὁ Νύσις, οἱ δὲ μέγιστοι τῶν διωνομασμένων, ὅ τε Χρεμέτης καλούμενος, ὃς εἰς τὴν ἔξω ῥεῖ θάλασσαν, καὶ τοῦ Νείλου τὸ ῥεῦμα τὸ πρῶτον ἐκ τοῦ Ἀργυροῦ καλουμένου ὄρους.* Ex quibus primum patet, Aristotelem asseclam quodammodo Euthymeneae illius opinionis Nili caput posuisse in occidentali Libya: aliter enim non potuerunt eius fontes in eisdem montibus esse, in quibus Chremetis. Quod si animo informaveris, id quoque sat

1) cf. Goebel p. 46 adn. 1.
2) cf. Sorof, *de Aristot. geogr.* Halis Sax. 1886. Berger II p. 83 sqq.
3) cf. Meltzer p. 234. 506.

proclivi coniectura assequare, Aristotelem pugnare contra ipsum illum Massiliensem, cuius scrinia omnes fere IV. saeculi compilavere geographi, cum paucis interiectis addat: *Ὅτι μὲν οὖν οὐ δεῖ νομίζειν οὕτω γίνεσθαι τὰς ἀρχὰς τῶν ποταμῶν ὡς ἐξ ἀφωρισμένων κοιλιῶν, φανερόν*[1]). Denique ut eluceat, quam bene omnia concinant, id velim animadvertas, quod ad Chremeten usque Scylacis quoque auctor pervenit: nam huius ostio opposita erat Cerne insula.

Iam proximus est is libellus, qui Hannonis periplum primus diserte laudat: dico tractatum *περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων*, qui fertur Aristotelis nomine[2]), ubi § 37 haec leguntur: *Λέγεται δὲ καὶ τὰ ἔξω στηλῶν Ἡρακλείων καίεσθαι, τὰ μὲν διὰ παντός, τὰ δὲ νύκτωρ μόνον, ὡς ὁ Ἄννωνος περίπλους ἱστορεῖ.* Non possumus autem mehercle in hac quaestione quicquam proficere, nisi undenam ista verba fluxerint constituerimus, atque bene pol factum, quod invictis argumentis demonstratum est a Muellenhoffio et Schradero, totum illud caput, quod est de mirabilibus ignibus, e Theophrasteis excerptis consutum esse. Quod verum esse non infitiabitur qui paucos inter se comparaverit locos: desumpta est paragraphus 41 e Theophrasti *περὶ λίθων* libello (cf. p. 37 § 13 W.); ex eodem opusculo derivanda est paragraphi 33 altera pars (cf. p. 37 § 12 W.)[3]): unde probabilis conclusio est, etiam quae media leguntur eidem deberi Theophrasto, atque id quidem verisimillimum, Theophrastum hanc materiam dedita opera tractasse in eo quem *περὶ πυρός* condidit libello. Itaque certe Theophrasti aetate Hannonis periplus Graecis notus fuit[4]).

---

1) cf. Bauer p. 75 adn. 1.

2) Quando hic libellus compositus esse videatur, exponunt Muellenhoffius I p. 426 sqq. et Schrader, qui singularem commentationem inscriptam *Über die Quellen der pseudoaristotelischen Schrift περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων* inseruit *Fleckeiseni annal.* vol. 97 (1868) p. 217 sqq. cf. Geffcken, *Timaios' Geogr. d. Westens* 1892 p. 84 sqq.

3) cf. Schrader p. 223.

4) Ad idem fere tempus (cf. Gutschmid ad Flachii Hes. Miles. p. 159) deducimur, si recte Mueller (*proleg.* p. XXX) Hannonis nomen latere suspicatus est in corruptis Palaephati verbis (incredib. XXXII; cf. Westermann, *mythogr.* p. 295), de quibus post Voelckerum vana protulit Tuempelius (cf. *Fleckeis. ann. suppl.* XVI p. 205). At quamquam Muelleri suspicio valde mihi arridet, tamen, cum de codicum scriptura non iam satis constet (cf. Boysen *Philol.* XLII p. 300 sqq.; Froehner *Philol. suppl.* V p. 35), iudicium de hoc loco cohibere praestat.

Certissimum denique est, Eratostheni, principi totius veterum geographiae, Hannonis periplum fundamentum extitisse, quo suam de occidentalis Libyanae orae figura sententiam stabiliret, cuius rei argumenta post Mannertum (I 2 p. 57) denuo contulit Berger[1]). At iure plerisque eorum non multum tribuit Goebelius p. 18, unum vero habet gravissimum pondus, quod tamen aptius duco infra enarrare: nunc sufficiat in memoriam lectori revocasse quae de Arriani summaria relatione supra fusius exposui; namque quae eius Indicis continentur geographica Eratostheni reddenda esse, quid est, cur moneam, cum ipse palam se ex illo totum pendere profiteatur hisce (ind. 3): *Ἐμοὶ δὲ Ἐρατοσθένης ὁ Κυρηναῖος πιστότερος ἄλλου ἔστω, ὅτι γῆς περιόδου πέρι ἔμελεν Ἐρατοσθένει*[2])?

Ut autem, quoniam optatam metam contigimus cursu, requiescamus paullulum et respiciamus, id exploratum est, Hannonis periplum ultimis quarti saeculi annis in Graecum conversum sermonem geographis Graecis innotuisse: collabuntur ergo eorum sententiae, qui Xenophonti Lampsaceno primi interpretis honorem vindicant[3]) vel Iubae, alterius Mauretaniae regis, Libycis Carthaginiensis opus primum insertum fuisse censuerunt[4]). Spem vero faciunt, ut enucleemus, quisnam primus Hannonis titulum Carthagine latentem indagaverit, duo loci Straboniani, quorum alter invenitur XVII 3, 3 p. 826 C, ubi haec: *Πλεῖστα δὲ πλάσματα τῇ Λιβυκῇ παραλίᾳ τῇ ἐκτὸς προσεψεύσαντο οἱ συγγραφεῖς, ἀρξάμενοι ἀπὸ τοῦ Ὀφέλλα περίπλου.* Hunc Ophellam quin recte Mueller (*prol.* p. XXIV) composuerit cum eo qui apud Marcianum Heracleotam audit *Ἀπελλᾶς Κυρηναῖος*, cui *περίπλους τῆς ἐκτὸς θαλάττης* tribuitur, dubitatione puto vacat; nec minus verisimile est,

1) *Erat. fr.* p. 93. 208. *Gesch. d. w. Erdk. d. Gr.* III p. 68. 73.

2) cf. Berger, *Er. fr.* p. 93.

3) cf. Osann p. 541. Qui Xenophon quo tempore vixerit cum ne coniectura quidem licet assequamur (cf. Voss. *de hist. Graec.* ed. West. p. 510) — nam quae Osannius exposuit stare nequeunt —, tum in hac quaestione diiudicanda perparvum interest scire; etenim de Hannone nil omnino ille tradidit; immo inepte Solinus, qui saepius Plinii verba recte separare non valuit, tribuit Lampsaceno (p. 230, 1 sqq. M.) quae a Plinio ad eum non referuntur (VI 31, 200).

4) cf. Peter, *Über den Wert der hist. Schriftstellerei von König Juba II. von Mauret.: progr. Misn.* 1879 p. 6 adn. 3. Susemihl, *Gesch. d. griech. Litt. i. d. Alexandrinerzeit* II p. 406 adn. 337.

utrumque non diversum esse a notissimo illo Cyrenae rege, Ptolemaei quondam satrapa, qui (cf. Diod. XX 40, 1) *περιεβάλετο ταῖς ἐλπίσι μείζονα δυναστείαν*[1]). Recte de eo Groteus[2]) 'Nach meiner Meinung', inquit, 'war Ophellas, der in Cyrene herrschte und Eroberungsplänen in den Westen nachging, der Mann darnach, um eine Untersuchung des nordafrikanischen Gestadelandes sowohl befehlen, als auch ins Werk setzen zu können.' Iam vero quae descripsi Strabonis verba excipiuntur his: *περὶ ὧν* (sc. *πλασμάτων*) *ἐμνήσθημέν που καὶ πρότερον, καὶ νῦν δὲ λέγομεν, συγγνώμην αἰτούμενοι τῆς τερατολογίας.* Respiciuntur a Strabone quibus Eratosthenem vehementer increpuerat haec (I 3, 2 p. 47 C): *Πεπίστευκε δὲ καὶ περὶ τῶν ἔξω στηλῶν Ἡρακλείων πολλοῖς μυθώδεσι, Κέρνην τε νῆσον καὶ ἄλλους τόπους ὀνομάζων τοὺς μηδαμοῦ νυνὶ δεικνυμένους, περὶ ὧν μνησθησόμεθα ὕστερον.* Quos duos locos si inter se coniungimus, vix quicquam invenias quod magis dicas probabile[3]), quam Ophellam primum miras illas narrationes de Cerne insula prolatas, quae Straboni stomachum movebant, sumpsisse ex ipsius Hannonis periplo, cuius titulum, quoniam erat Cyrenaeus, facillime potuit adire Carthagine. Videtur autem eius relationem Graeca lingua expressam ampliori suo operi vel inseruisse vel addidisse; hac enim in re plane consentio cum Muellero, quod Hannonis pagellam non seorsim editam esse duxit, sed maiori cuidam operi geographico adnexam.

Quam coniecturam si sequaris, probe etiam explicatur quam posterioribus temporibus passus est Hannonis libellus sors; namque primum in aperto est ex Strabonis illis locis, quinam Eratosthenes in eum inciderit. Dein vero elucet, quomodo periplus postea tantopere potuerit latere: a paucis enim eum lectitatum esse, iam demonstrabo. Ac de tertio quidem saeculo non habeo, quod adiciam. Medio autem fere altero Polybius occiduam Libyae oram praeternavigavit et, quae erat eius diligentia, accuratissimas rettulit mensuras notasque, ex quibus excerpta admodum sane exigua et tenuia servavit Plinius primo V. libri capite; etenim quamquam ex ipsius enuntiati structura necessario consequitur, perpauca tantum Pliniana ad ipsum redire Polybium, pleraque ab illis graviore

1) cf. Droysen, *Geschichte des Hellenismus* II 2 p. 91.

2) *Gr. Gesch.* VI p. 688 adn. 81; cum Groteo faciunt Holmius, *Gesch. Siz.* II p. 249, Schubertus, *Agathokles* p. 144, Berger, *Erat. fr.* p. 310.

3) cf. Mueller *proleg.* p. XXV. Goebel p. 44.

interpunctionis signo seiungenda fluxisse ex Agrippa[1]), tamen periculum non est, ne aberrem a vero, si quae artissimis vinculis cum illis cohaerent eisque plane conveniunt, ab Agrippa hausta esse ex Polybio affirmo; nam is solum ea quae flagitabatur accuratione Mauretaniae litora emensus erat, ita ut non temere hinc suspiceris, Plinium etiam in eis quae antecedunt notis Polybii nomen ex Agrippa transtulisse. Simul vero id evincitur ex eisdem Plinianis, Agrippam ipsum quae apud Polybium manca erant — scilicet ultra septentrionalem deserti finem ille non progressus erat — supplevisse ex eis posterioris aetatis auctoribus, qui multa fabulosa his terris, sicuti videbimus, affinxerunt. Ex Artemidoro autem qui post Polybium commemorandus venit non multa habemus, quae ad occidentalem Libyae oram pertinent, nil certe, quod Hannonei peripli notitiam prodat: immo, cum saepius vituperet Eratosthenis credulitatem (cf. Strabo p. 825. 829 C), eius quoque animus ad dubitandum fuisse videtur paratior.

Sequitur Posidonius Apameensis, qui cum de Nechonis itinere dubitaret, fidem tribuit Eudoxo Cyziceno (cf. Strabo II 3, 4 p. 98 C sqq.); de Hannone videtur tacuisse. At quem modo laudavi Eudoxus non solum usus, sed abusus est foedissime Hannonis periplo: dixi iam supra, me eum cum Strabone suspectum habere. Nimirum cum ex infructuosis itineribus revertisset vanus ille homo, ne sine ullo successu ea suscepisse videretur, opus condidit mirum atque inauditum, quo nil agebat, nisi ut mirificas res, mera monstra enarraret; erat, ut Mannertus (I 2, 25) acute dixit 'eine Art Robinsonade'! Nos certa harum hariolationum vestigia tenemus apud Plinium et Melam, qui eius nugas accepisse videntur per Cornelium Nepotem, qui avidissime omnia quamvis incredibilia credidit (cf. Plin. V 1, 4)[2]). Ex Nepote enim fluxerunt quae Plinius (II 67, 169) et Pomponius Mela (III 89. 90. 91) de Hannonis et Eudoxi navigationibus narrant haec, quae Muellenhoffius ne uno quidem argumento allato reduci voluit ad Ephorum (I p. 89 adn.):

Mela III 89—91: 'Dubium aliquamdiu fuit essetne ultra pela-

Plin. II 67, 168: 'Alio latere Gadium ab eodem occidente magna

1) cf. Riese *geogr. lat. min.* p. 5 fr. 25. Goebel p. 20 sq.

2) cf. R. Hansen, *Die Chorographie des Pomponius Mela: Fleckeis. ann.* 117 p. 499 sq. Goebel p. 40.

gus caperetne terra circuitum, an exhausto fluctu sine fine se Africa extenderet, verum et Hanno Carthaginiensis exploratum missus a suis, cum per oceani ostium exisset magnam partem eius circumvectus, non se mari, sed commeatu defecisse memoratu rettulerat, et Eudoxus quidam avorum nostrorum temporibus cum Lathyrum regem Alexandriae profugeret, Arabico sinu egressus per hoc pelagus, ut Nepos adfirmat, Gades usque pervectus est: ideo eius orae nota sunt aliqua.'

pars meridiani sinus ambitu Mauretaniae navigatur hodie ..... Et Hanno Carthaginis potentia florente circumvectus a Gadibus ad finem Arabiae navigationem eam prodidit scripto, sicut ad extera Europae noscenda missus eodem tempore Himilco. Praeterea Nepos Cornelius auctor est Eudoxum quendam sua aetate, cum Lathyrum regem fugeret, Arabico sinu Gades usque pervectum.'

Plinius certe exscripsit Nepotem, id quod demonstratur proximis eius verbis. Idem cadit in Melam; ait enim ille III 45: 'sed praeter physicos Homerumque universum orbem mari circumfusum esse disserit Cornelius Nepos ut recentior, auctoritate sic certior'; iam vero Mela enarrat, quaenam Eudoxi et Hannonis itineribus patefacta sint: reperiuntur trans deserta muti populi et quibus pro eloquio nutus est, alii sine sono linguae, alii sine linguis, alii labris etiam cohaerentibus, nisi quod sub naribus etiam fistula est per quam bibere avenis, et cum incessit libido vescendi, grana singula frugum passim nascentium absorbere dicuntur; sunt quibus ante adventum Eudoxi adeo ignotus ignis fuit, adeoque visus mirum in modum placuit, ut amplecti etiam flammas et ardentia sinu abdere donec noceret maxime libuerit. Taceo reliqua eodem tincta colore, ex quibus unum luce clarius efficitur: nimirum optimum auxilium in opusculo suo consuendo praebuit Eudoxo ipsius Hannonis simplex ac vera relatio, ita ut quae mira in ea inesse videbantur in maius augeret novaque magis mira de suo adderet: ita accidit, ut ex Gorgadibus fierent feminae toto corpore hirsutae et sine coitu marum sua sponte fecundae, ut et Noti Cornui et Hesperio promunturio Gorgades insulae opponerentur et quae sunt similia.

Quo magis autem omnia mira erant quoque minus inter se conciliabilia, eo maiorem suspicionem movere debebant eis qui

erant geographi germani; hi igitur iure merito omnem eis fidem denegarunt, cum summopere dolendum sit, quod non minori despicatui quam istos fabulatores habebant innocentem Hannonem. Etenim Strabo silentio eum praeteriit, cum futtiliorem etiam et magis mirum Carthaginiensis periplum haberet quam Pytheae (cf. p. 63. 102. 115. 190 C). Unde non mirandum, quod Plinii aetate Hannonis itinerarium nemo iam legebat: namque 'fuere et Hannonis Carthaginiensium ducis commentarii Punicis rebus florentissimis explorare ambitum Africae iussi', inquit Plinius ipse (V 1, 8). Aelio denique Aristidi (cf. II p. 475, 5 sqq.) titulus quondam Carthagine positus in templo Saturni notus erat, ignotus libellus publici iuris factus.

Contra id unum argumentorum necessitate cogitur, Iubam regem cum *Λιβυκὰ* conscriberet Hannonis periplum ante oculos habuisse atque id quidem exemplar Punica conscriptum lingua; sunt enim duo Solini loci quorum alter altero perbene suppletur: legimus (p. 155 M.) Nilum originem habere a monte inferioris Mauretaniae, oceano propinquo: 'hoc adfirmant Punici libri: hoc Iubam regem accipimus tradidisse' (cf. Amm. Marc. XXII 15, 8). Quinam sint Punici isti libri, dilucide perspicitur ex pag. 124 M., ubi ita loquitur Solinus: 'haec de Atlante, quem Mauri Addirim nominant, et Hannonis Punici libri et nostri annales prodiderunt, Iuba etiam Ptolemaei filius qui utriusque Mauretaniae regno potitus est.' Haec vero levia sunt prae eo quod restat; scilicet Athenaeus III 25 p. 83 b hisce ludificat Iubam: *εἰ μέν τι τούτων Ἰόβας ἱστορεῖ, χαιρέτω Λιβυκαῖσι βίβλοις ἔτι τε ταῖς Ἄννωνος πλάναις!* Hinc Peter (l. l. p. 5) Iubam inspexisse Hannonis periplum recte conclusit et per eum quaedam etiam pervenisse ad Plinium. Adde, quod perfacile fieri potuit, ut Iuba Punicum quoddam relationis Hannoneae exemplar acciperet: etenim Romanos, cum Carthaginem cepissent, excepto Magonis de re rustica opere Punicos libros regulis Africae donavisse Plinius testis est (XVIII 3, 22)! Denique inde cognoscitur, qui Iuba omne illud mare ab India usque Gades voluerit navigabile esse atque etiam stationum loca et spatiorum modum addiderit (cf. Plin. VI 29, 175. Sol. 228 M.).

Perducta autem eo res est, ut examinetur, num opinionibus quibusdam geographicis, quae maioris momenti fuerunt, Hannonis titulus ansam dederit. Priusquam vero quae ipse sentiam explicem,

necesse est occurram Bergeri ratiocinationi, qui[1]) ex Hannonis narratione fortassis deduci posse arbitrabatur quae Parmenides primus de zona media flammis exusta et cremata ideoque inhabitabili protulerat. Cuius doctrina ita a Posidonio describitur (cf. Strabo II 2, 2 p. 94 C): *Φησὶ δὴ ὁ Ποσειδώνιος τῆς εἰς πέντε ζώνας διαιρέσεως ἀρχηγὸν γενέσθαι Παρμενίδην· ἀλλ' ἐκεῖνον μὲν σχεδόν τι διπλασίαν ἀποφαίνειν τὸ πλάτος τὴν διακεκαυμένην τῆς μεταξὺ τῶν τροπικῶν, ὑπερπίπτουσαν ἑκατέρων τῶν τροπικῶν εἰς τὸ ἐκτὸς καὶ πρὸς ταῖς εὐκράτοις.* Iam vero Hanno praeternavigaverat terram ob calorem inaccessam; conspexerat ignitos rivos et caelum plurimo igne noctu ardens: hinc igitur Parmenidem exorsum esse Berger censuit. At si supra Hannonis aetatem recte constituimus, refutatur ille vel temporum ratione. Quamquam enim Parmenidis vitam certis circumscribere finibus admodum difficile est, quia veteres ipsi minime sibi constant (cf. Diog. L. IX 23. Plato Parm. 127 A F; Theaet. 183 E; Soph. 217 C. Euseb. ad Ol. 80, 4: Sync. 254 C; Euseb. Ol. 86: Sync. 257 C), tamen id omnium est verisimillimum, vixisse eum fere inde ab anno 515 usque ad medium saeculum V. et opus suum emisisse ca. anno 470[2]): nequit igitur respexisse Hannonem. Neque necessarium est ad Hannonem refugiamus, ut Parmenidis explicemus doctrinam; etenim potuerunt haud dubie vetustissimi illius aevi geographi Graeci si non ab aliis, at certe ab Aegyptiis multa de meridionali illa zona propter nimium coeli ardorem inhabitabili comperire, cum ipsos Aegyptiorum philosophos hanc sententiam professos esse testetur Diodorus I 40: *Τῶν δ' ἐν Μέμφει τινὲς φιλοσόφων ἐπεχείρησαν αἰτίαν φέρειν τῆς πληρώσεως* (sc. *τοῦ Νείλου*) *ἀνεξέλεγκτον μᾶλλον ἢ πιθανήν, ᾗ πολλοὶ συγκατατέθεινται. λιαιρούμενοι γὰρ τὴν γῆν εἰς τρία μέρη φασὶν ὑπάρχειν ἓν μὲν τὸ κατὰ τὴν ἡμετέραν οἰκουμένην, ἕτερον δὲ τὸ τούτοις τοῖς τόποις ἀντιπεπονθὸς ταῖς ὥραις, τὸ δὲ τρίτον μεταξὺ μὲν κεῖσθαι τούτων, ὑπάρχειν δὲ διὰ καῦμα ἀοίκητον.* Atque audierat talia certe cum Aegyptum peragraret Herodotus, qui II 31 haec rettulit de Nilo: *Μέχρι μέν νυν τεσσέρων μηνῶν πλόου καὶ ὁδοῦ γινώσκεται ὁ Νεῖλος πάρεξ τοῦ ἐν Αἰγύπτῳ ῥεύματος· τοσοῦτοι γὰρ συμβαλλομένῳ μῆνες εὑρίσκονται ἀναισιμούμενοι*

1) *Gesch. d. w. Erdk. d. Gr.* II p. 38.

2) cf. Zeller, *Philos. d. Griechen* I p. 508 adn. 1. Ueberweg-Heinze, *Grundriſs d. Gesch. d. Philos. d. Alterth.* § 19. p. 65.

ἐξ Ἐλεφαντίνης πορευομένῳ ἐς τοὺς αὐτομόλους τούτους. ῥέει δὲ ἀπὸ ἑσπέρης τε καὶ ἡλίου δυσμέων. τὸ δὲ ἀπὸ τοῦδε οὐδεὶς ἔχει σαφέως φράσαι· ἔρημος γάρ ἐστι ἡ χώρη αὕτη ὑπὸ καύματος. Quamquam id non nego, potuisse sane posteriore aetate unum alterumve ex eis geographis, qui crematam esse mediam zonam docuerunt[1]), Hannonis itinerario allato istam firmare opinionem; utrum vero fecerint necne, neque veterum quisquam memoriae prodidit neque nos habemus dicere.

Redeamus autem ad Iubam quem Nili originem in inferiore Mauretania quaesivisse ex Solini verbis supra laudatis vidimus. Plenius quaenam eius fuerit opinio Plinius enarrat (V 9, 51—54): 'Nilus incertis ortus fontibus, ut per deserta et ardentia et immenso longitudinis spatio ambulans, quae fama tantum, inermi quaesitu cognita sunt sine bellis, quae ceteras omnis terras invenere, originem, ut Iuba rex potuit exquirere, in monte inferioris Mauretaniae non procul oceano habet, lacu protinus stagnante quem vocant Nilidem. Ibi pisces reperiuntur alabetae, coracini, siluri. Crocodilus quoque inde ob argumentum hoc Caesareae in Iseo dicatus ab eo spectatur hodie. Praeterea observatum est, prout in Mauretania nives imbresve satiaverint, ita Nilum increscere. Ex hoc lacu profusus indignatur fluere per harenosa et squalentia, conditque se aliquot dierum itinere, mox alio lacu maiore in Caesariensis Mauretaniae gente Masaesylum erumpit et hominum coetus veluti circumspicit, iisdem animalium argumentis.' Quae sequuntur apud ipsum Plinium velim perlegas; nostra nunc nil interest ea comperire. Ecquis vero est, qui nesciat, hoc Iubae commentum non solum probatum esse omnibus fere qui post Mauretaniae regem de Nili fontibus egere viris doctis veluti Pausaniae (I 33), Dioni Cassio (LXXV 13)[2]) — sed etiam Agrippae, qui in tabula sua Nilum ex Iubae opinione

1) cf. Berger, *Erat. fr.* p. 83 sqq.

2) cf. Iul. Hon. cosm. 45 (R. p. 48); Cosmogr. 45/6 (R. p. 89), ubi pro 'ad cataractas veteriores' aperte scribendum est 'ad cataractas ulteriores', cf. Hon. B. R. p. 48. Obloquitur postea Orosius (I 2 § 29): 'Hunc (sc. Nilum) aliqui auctores ferunt haud procul ab Athlante habere fontem et continuo harenis mergi, inde interiecto brevi spatio vastissimo lacu exundare atque hinc oceano tenus orientem versus per Aethiopica deserta prolabi rursusque inflexum ad sinistram ad Aegyptum descendere!' Ex ipsius Orosii opinione (cf. § 28) Nilus emergit de litore incipientis maris Rubri in loco qui dicitur Mossylon emporium.

depinxit?[1]) Hinc dein latius serpente pernicie omnes quae aliquo vinculo cum Agrippae opere conectuntur medii aevi tabulae Iubam sequuntur: Peutingerana, Herfordiana[2]), Ebstorfiana[3]), Severiana[4]). Et ad Arabes quoque pervenit ista coniectura, quorum *Nil Ghana* cum occidentali cohaeret oceano[5]) neque quae posteriore aetate a Portugallis, Gallis, Iberis, Germanis delineabantur tabulae illo errore vacant, quamquam varium in modum, quo accuratior fieret occiduae orae notitia, commutabatur doctissimi regis sententia: quos mutationum cursus persequi et noscere, qui, ut unum exemplum ponam, primum Daratis (cf. Oros. I 2, 31), dein, ubi primum meridiem versus longius progressa est terrarum cognitio, Senegalis[6]), postremo Nigeris ostium[7]) pro occidentali Nili bracchio habitum sit, non iniucundum quidem est, sed a proposito nostro alienum. Nobis id deliberandum, undenam Iubae ipsius opinio pendeat. Quod licet tam planum facere, nihil ut ad demonstrationis integritatem desiderari videatur. Etenim si quis dixerit, Iubam ipsum veri videndi cupidum permigrasse totam Mauretaniam ad meridionales usque fines, ei haec oppono: cum per se parum probabile est, *τῷ πάντων ἱστορικωτάτῳ βασιλεῖ* (cf. Plut. Sert. IX fr. 19 M.) vacasse, longinquas illas terras adire, tum non solum suspicionem augent, sed contrarium evincunt Solini verba saepius commemorata (p. 155 M.), quae Iubam de Nili fontibus Punicorum confisum textu librorum exposuisse coarguunt, qui libri ipsi non diversi erant ab Hannonis periplo (cf. Solin. p. 124 M.). Nec diu quaerendum erit, opinor, quibusnam eius verbis Iuba nixus sit; memineris enim quae leguntur § 9 sqq. haec: *Τοὐντεῦθεν* (sc. a Cerne insula) *εἰς λίμνην ἀφικόμεθα, διά τινος ποταμοῦ μεγάλου διαπλεύσαντες, ⟨ᾧ ὄνομα⟩ Χρε⟨μέ⟩της· ἐκεῖθεν πλέοντες εἰς ἕτερον ἤλθομεν ποταμὸν μέγαν καὶ πλατύν, γέμοντα κροκοδείλων καὶ ἵππων ποταμίων. Ὅθεν δὴ πάλιν ἀποστρέψαντες εἰς Κέρνην ἐπανήλθομεν.* Quem lacum non longe ab Atlantis iugis distantem Iuba sibi finxit,

1) cf. Partsch, *Die Darstellung Europas im geogr. Werk des Agrippa* p. 11.

2) cf. Jomard, *monuments de géographie* t. VIII sqq.

3) cf. Sommerbrodt, *Afrika auf der Ebstorfer Weltkarte: progr. Hannov.* 1885.

4) cf. Jomard, *choix des documents de géographie* tab. IV.

5) cf. Lelewel tab. II. IV. X. XXI. XXIII.

6) cf. *hist. génér. des voyages* II p. 497.

7) cf. Peschel, *G. d. E.* p. 151.

neque id prorsus absurdum, dummodo eos intellexerit montes, qui prope hodiernum promunturium *Nun* ad mare procurrunt; id enim teneri iubeo, quod apud Pausaniam eodem (I, 33) illo capite, quo Nili fontes quaeruntur in Atlantis vicinia, *Λιξῖται* vocantur ii Libyes, *οἳ ἔσχατοι πρὸς Ἄτλαντι οἰκοῦσι, σπείροντες μὲν οὐδέν, ἀπὸ δὲ ἀμπέλων ζῶντες ἀγρίων.* Iam vero vide, quanam via progressus Iuba ex istis Hannonis verbis conclusiones fecerit! Eructabat ex peramplo illo lacu altera ex parte in Atlanticum oceanum Chremetes fluvius, alteram versus maius etiam flumen cum eo cohaerebat, quod, cum Hanno non significaverit quamnam tenuerit coeli regionem, Iuba suo iure orientem petere existimare potuit. Erat autem alterum hoc flumen plenum crocodilorum et hippopotamorum, qui uno Nilo fluvio ali vulgo credebantur a veteribus: unde quid mirum, quod Iuba Nili fontes se repperisse et aenigma illud solvisse gloriatus est, quod per tot saecula geographorum operam luserat et torserat acumen adeoque omnium tenuerat animos, ut Lucanus (Phars. X 188 sqq.) Caesarem induceret loquentem:

Sed cum tanta meo vivat sub pectore virtus,
tantus amor veri, nihil est quod noscere malim
quam fluvii causas per saecula tanta latentes
ignotumque caput: spes sit mihi certa videndi
Niliacos fontes, bellum civile relinquam.

Hanno vero ita quasi pater extitit quamvis invitus ingentis istius erroris, in quo omnes fere posterioris aetatis versantur geographi. Consectarium autem simul est, si hanc probas explicationem, frustra laborari ab eis, qui omni modo Iubae relationem cum hodierna rerum natura student conciliare: unam e sescentis pravis opinionibus, quae primo obtutu aliquam saltem veritatis speciem prae se ferre videtur, carptim stringo. Videlicet Knoetelius[1]) et Knuetgenus[2]) Iubam ipsum incidisse arbitrabantur in eum lacum, qui in superiore *Draa* fluminis parte situs et plane exsiccatus tum demum hodie cognoscitur, cum imbres repente torrentis modo effusi totam inundant regionem: vocatur nunc *Debaia*[3]). Huc igitur Iubae

1) p. 18 sqq.

2) *Ansichten der Alten über die Nilquellen* p. 6.

3) cf. Rohlfs *Pet. ann.* 1865. tab. VI. H. de Castries *bull. d. l. soc. d. géogr. de Paris* 1880, 12.

notas rettulerunt; at primum, quomodo eum haud procul a mari abesse Iuba dixerit, equidem non assequor; accedit, quod ne vestigium quidem deprehenditur fluvii sive meridiem sive orientem versus ex eo effluentis vel ex eisdem regionibus in eum ingredientis: deflectitur solus *Ued Draa* eo loco a meridionali cursu in occidentalem. Itaque omnia longissime recedunt a Iubae relatione, neque alioquin lacus reperitur, quo melius possint quae ille narravit revocari. Moneo postremo, omnem hanc argumentationem ne tantillum quidem infringi ea re, quod magnus ille veterator ipse Caesareae in Iseo crocodilum dedicavit; causa cur hoc fecerit in propatulo est.

Sed missum faciamus Iubam, protinus pergentes ad Eratosthenem, ad quem me rediturum esse fidem supra dedi. Insertum legimus Bergeri egregiae collectioni Eratosthenicorum fragmentorum (p. 308) hanc Strabonis narrationem, qua Libyae figura depingitur (cf. Strab. XVII 3, 1 p. 825 C): *Ἔστι δὲ ὀρθογωνίου τριγώνου τὸ σχῆμα, ὡς ἄν τις ἐν ἐπιπέδῳ νοήσειε, βάσιν μὲν ἔχον τὴν καθ' ἡμᾶς παραλίαν τὴν ἀπὸ τῆς Αἰγύπτου καὶ Νείλου μέχρι Μαυρουσίας καὶ Στηλῶν, πρὸς ὀρθὰς δὲ ταύτῃ πλευράν, ἣν ὁ Νεῖλος ποιεῖ μέχρι Αἰθιοπίας, προσεκβαλλόντων ἡμῶν ἕως Ὠκεανοῦ, τὴν δ' ὑποτείνουσαν τῇ ὀρθῇ τὴν παρωκεανῖτιν ἅπασαν τὴν μεταξὺ Αἰθιόπων καὶ Μαυρουσίων· τὸ μὲν οὖν κατ' αὐτὴν τὴν κορυφὴν τοῦ λεχθέντος σχήματος ἤδη πως ὑποπῖπτον τῇ διακεκαυμένῃ, λέγομεν ἐξ εἰκασμοῦ διὰ τὸ ἀπρόσιτον, ὥστ' οὐδὲ τὸ μέγιστον πλάτος τῆς χώρας ἔχοιμεν ἂν λέγειν· τὸ μέντοι τοσοῦτον ἐν τοῖς πρόσθεν λόγοις ἔφαμεν, ὅτι ἐξ Ἀλεξανδρείας εἰς Μερόην τὸ βασίλειον τῶν Αἰθόπων πρὸς νότον ἰόντι στάδιοί εἰσι περὶ μυρίους, ἐκεῖθεν δ' ἐπ' εὐθείας ἐπὶ τοὺς ὅρους τῆς διακεκαυμένης καὶ τῆς οἰκουμένης ἄλλοι τρισχίλιοι· τὸ γοῦν αὐτὸ θετέον τὸ μέγιστον πλάτος τῆς Λιβύης, μυρίους καὶ τρισχιλίους ἢ τετρακισχιλίους σταδίους, μῆκος δὲ μικρῷ ἔλαττον ἢ διπλάσιον.* Et optimo iure adnumeratur tota haec descriptio Eratosthenis reliquiis; Eratosthenici enim sunt et longitudinis et latitudinis numeri. Habent vero ipsae res, in quibus magnopere haereas: nam ut concedamus, ei orae quae nobis obversa est ab Aegypto usque ad Herculis columnas ad rectum angulum adiungi id latus, quod a Nili ostio ad Aethiopiam pertineat, quomodo tandem contendere potuit Eratosthenes, recto angulo subtensam esse eam oram, quae ad oceanum iaceat ita, ut rectangulum oriatur? Debuit occiduam

Libyae oram talem sibi fingere, ut a borea statim obliqua et transversa eam regionem versus quae est inter ortum solis et meridiem protendatur idque una recta linea. Quanam vero ratione Eratosthenes ut absurdam proferret hanc sententiam motus sit si quaeris — nam non is erat profecto, qui fictam commenticiamque et ex vano habitam opinionem iactaret — reminiscaris quaeso haec Hannonis verba: (§ 8) *'Ετεκμαιρόμεθα δ' αὐτὴν* (sc. *Κέρνην*) *ἐκ τοῦ περίπλου κατ' εὐθὺ κεῖσθαι Καρχηδόνος· ἐῴκει γὰρ ὁ πλοῦς ἔκ τε Καρχηδόνος ἐπὶ Στήλας κἀκεῖθεν ἐπὶ Κέρνην.* Non obscurum est, quid Hanno voluerit significare; quaenam unice vera sit interpretatio, supra exposuimus. At nequit negari, illud *κατ' ἐνθὺ Καρχηδόνος* pessime dictum esse ita, ut difficillimum fuerit ad intellegendum. Inde vero est, quod in foedissimum errorem incidit Eratosthenes, qui id sibi persuasit, Cernen insulam sub eodem sitam fuisse meridiano, atque Carthaginem urbem (cf. Strabo II 120 C. Chrest. Strab. II 26: *g. gr. m.* II p. 538), ex qua prava opinione consequens erat, ut statueretur, Libyae oram occiduam linea transversa a freto Gaditano ad ortum solis et meridiem porrigi[1]). Accuratius autem, quomodo Eratosthenes Hannonis navigationem animo finxerit, discimus ex Arriano, cuius Ind. XLIII 11 supra explanavimus; attamen in promptu quaedam sunt, quae adiciam. Tradidit Arrianus, Carthaginienses primum per 35 dies orientem versus tenuisse, dein se vertisse ad meridiem: neglexit ergo, quod Hanno a Thymiateria urbe ad Soloentem usque promunturium vesperum se petisse narrat. Sed cum hic ceteroquin aut orientem aut meridiem versus se vela dedisse dicat, saepius vero, quo cursum direxerit, omittat indicare, similis fuit Eratosthenis condicio hanc oram adumbrantis, atque cum delinearet Cinnamomiferam (cf. Strabo XVI p. 767 C sqq. III B. 48 B.), de qua ipse ait XVI 4, 20 p. 779 C: *λέγεται δ' ὑπό τινων τὰ ἀπὸ τῶν στενῶν τοῦ 'Αραβίου κόλπου μέχρι τῆς κινναμωμοφόρου τῆς ἐσχάτης πεντακισχιλίων σταδίων, οὐκ εὐκρινῶς, εἴτ' ἐπὶ νότον εἴτ' ἐπὶ τὰς ἀνατολάς.* Itaque ita depinxit hanc oram, ut neque recta orientem peteret neque ipsum meridiem, sed *ἐπὶ τὴν μεσημβρίαν ἅμα καὶ τὴν ἕω* tenderet. Idem puto cogitaverit de occidua Libyae ora, atque ita opinio ista de rectangulo trigono nata, quamquam ad Hesperium promunturium orae cursum quamvis

1) cf. Berger, *Erat. fr.* p. 208. Mannert I 2 p. 57.

leviter mutari ex ipso eius nomine conclusit. Dein vero ex eodem Arriano patet, Eratosthenem Carthaginienses non ad meridionalem Libyae terminum usque provectos fecisse: sicuti, priusquam huc pervenerint, apud Arrianum propter nimios solis ardores et aquarum inopiam revertuntur, ita Eratosthenes ipse ultimum Libyae angulum inaccessum esse eadem de causa putavit.

Attamen non omnes qui deinceps sequebantur geographi Eratosthenis opinioni se addixerunt; immo diversissima ab eius sententia altera est, quae primum occurrit apud Strabonem II 5, 33 p. 130 C, ubi haec: *Μετὰ δὲ τὴν Ἀσίαν ἐστὶν ἡ Λιβύη, συνεχὴς οὖσα τῇ τε Αἰγύπτῳ καὶ τῇ Αἰθιοπίᾳ, τὴν μὲν καθ' ἡμᾶς ἠιόνα ἐπ' εὐθείας ἔχουσα, σχεδόν τι μέχρι Στηλῶν ἀπὸ Ἀλεξανδρείας ἀρξαμένην, πλὴν τῶν Σύρτεων καὶ εἴ πού τις ἄλλη κόλπων ἐπιστροφὴ μετρία καὶ τῶν ταύτην ποιούντων ἀκρωτηρίων ἐξοχή· τὴν δὲ παρωκεανῖτιν ἀπὸ τῆς Αἰθιοπίας μέχρι τινός, ὡς ἂν παράλληλον οὖσαν τῇ προτέρᾳ, μετὰ δὲ ταῦτα συναγομένην ἀπὸ τῶν νοτίων μερῶν εἰς ὀξεῖαν ἄκραν, μικρὸν ἔξω Στηλῶν προπεπτωκυῖαν καὶ ποιοῦσαν τραπέζιόν πως τὸ σχῆμα.* Quod vero Berger[1]) dicit 'Die Küste Libyens biegt in der Nähe der Säulen nach Südosten ab und behält diese Richtung bei bis in die Gegend des Meridians von Karthago; von da an hörte mit dem Beginn der Äthiopenküste die Überlieferung auf und Eratosthenes mufste sich wie seine Nachfolger mit der Fiktion einer parallelen Linie bis zu dem *Νότου Κέρας* der Zimmtküste begnügen' fallitur; utraque enim sententia non potuit profluere ex mente Eratosthenis, qui aut Libyae figuram adaptavit trigono rectangulo aut trapezio: quoniam illud fecit, altera haec opinio ei abiudicanda est. Eandem autem quam qui a Strabone exscriptus est auctor Libyae formam cogitatione sibi finxit Mela, cum postquam inde a § 89 oram ad eurum spectantem multis descripsit ita pergat § 99: 'Ipsae terrae promunturio cui Hesperu Ceras nomen est finiuntur: inde incipit frons illa, quae in occidentem vergens mari Atlantico adluitur.' Quid autem quaeso ab his differt illud, quod Plinius (VI 30, 197) meridianam Libyae oram expresse distinguit ab occidua? Utriusque terminus iterum est Hesperium promunturium, 'inde primum circumagente se terrarum fronte in occasum ac mare Atlanticum' (VI 31, 199). Quartus denique testis praesto est Dionysius Periegetes,

---

1) *Erat. fr.* p. **212**; *Gesch. d. wiss. Erdk. d. Gr.* III p. **74**.

qui (v. 174 sqq.) Libyam eisdem fere verbis depingit quibus Strabo. Non poterit autem latere quonam fundamento totum hoc aedificium exstructum sit: nil enim relinquitur nisi ut iterum ad Hannonis periplum confugiamus. Itineris Hannonei finis fuerat Noti Cornu; idem nomen inditum erat ultimo orientalis Libyanae orae promunturio (cf. Strabo XVII 4, 14 p. 774 C). Itaque proclivis erat suspicio, Hannonis ***Νότου Κέρας*** non diversum esse ab orientali[1]); nec iam ea huic coniecturae obstat difficultas, quam Mueller affert, cum dicat Hannonis Noti Cornu sinum esse, orientale illud ***Κέρας*** promunturium. Qui vero ad hunc usque terminum Hannonem navigatione penetrasse credidit (cf. Plin. II 67, 169), necessario id debebat sumere, eum uno certoque loco iter flexisse: aliter enim ex ea navigatione, quae ad ortum solis meridiemque conversa iam in Cernae insulae regione Carthaginis meridianum assecuta erat, eo non potuit pervenire. Nec diu, opinor, haesitabant, quemnam eligerent locum: nimirum cum Notu ***Κέρας*** finem esse putarent orae meridianae, nec difficile erat nec ineptum inde concludere, occidentalis litoris terminum significari Hesperio promunturio. Quod autem in ea itineris parte, quae ab altero alterum versus pertinebat, Hanno nec unquam quonam cursum adverterit adnotavit nec a recta via se declinasse dixit, recta linea Hesperi Cornu cum Noti promunturio coniunctum fingebant eaque parallela orae septentrionali. Itaque minime, ut ait Mueller (*prol.* p. XXVIII), Hannonis iter transtulerunt veteres ad eam Libyae figuram, quam nescio unde sibi excogitaverant, sed contraria via inita Libyae formam ex Hannonis itinerario adumbraverunt.

Id unum igitur adhuc dubium est, quemnam tota haec sententia habuerit auctorem. At ut dicam quid sentiam, id quoque facile constituitur; nimirum Pomponii Melae et Plinii relationibus reicimur ad temerarium istum Cyzicenum E u d o x u m. Haec autem coniectura egregie firmatur alia observatione: vidimus supra, Posidonium Rhodium novisse ipsius huius Eudoxi fabellas eisque fidem tribuisse; iam vero ex Posidonio toti pendent qui praeter Melam et Plinium Libyae speciem cum trapezio comparaverunt, Strabo et Dionysius Periegetes. Hunc eam quam exhibet mundi figuram deprompsisse e Posidonio, qui ***σφενδονοειδῆ*** terram esse affirmarat (cf. Agath. I 2. Mueller *g. gr. m.* II 471. Eust. ad Jl.

1) cf. Mannert X 1 p. 76. 2. p. 502. Mueller *prol.* p. XXVIII. Goebel p. 61.

p. 690, 43. Dionys. Per. 1. cf. Bake, *Posid. reliq.* p. 107), pridem perspexerunt viri docti[1]), neque ea quidem in re adstipulor Muellero, quod (*proleg.* p. XXIII) Dionysium sibi ipsum non constitisse, sed in Libyae oris adumbrandis alium secutum auctorem quadrata iunxisse rotundis contendit. Quae coniectura cum improbabilis vel ideo fit, quia nemo facile dixerit, cur periegetes qui Europae Asiaeque lineamenta Posidonii vestigiis insistens depinxit de Libyae specie subito adierit Strabonem, tum summi momenti est, quod Dionysius ipse in Europae forma delineanda ad ea quae antea exposuit de Libya provocat, cum dicat (v. 269 sqq.):

Τοίη μὲν Λιβύης μορφὴ καὶ σχῆμα τέτυκται·
εἰ δὲ καὶ Εὐρώπης ἐθέλεις τύπον, οὔ τί σε κεύσω.
Ὡὐτὸς μὲν Λιβύης ῥυσμὸς πέλει, ἀλλὰ μετ' ἄρκτους
ἔστραπται, καὶ τοῖος ἐπ' ἀντολίην πάλιν ἕρπει,
οἷος καὶ νοτίης Λιβύης ἐπὶ τέρμα βέβηκεν·
ἄμφω δ' ἶσον ἔχουσιν ἐπ' Ἀσίδα νείατον ἴχνος,
ἡ μὲν πρὸς βορέην, ἡ δ' ἐς νότον.

Dionysianis autem apprime conveniunt quae de Europa, Asia, Libya leguntur apud Strabonem II 5, 27 p. 127 C sqq. et tam mirus deprehenditur eorum concentus, ut v. 174 sqq. Strabonem ipsum a Dionysio adhibitum esse censuerit Goetheus (p. 17 sqq.), non recte. Immo ex eis quae supra monui efficitur, ni omnia me fallunt, in communi exstitisse fonte quae uterque simillima praebet, scilicet Posidonio Apameensi; ad quem eam quoque ob causam deducimur, quod multa recurrunt etiam in Pseudoaristotelico illo libello qui est *περὶ κόσμου*[2]), in quo multa latere Posidoniana nemo est quin sciat. Accedit tertia causa eaque gravissima: nimirum collatis sive ipsis Posidonii fragmentis sive eis Strabonis, Diodori, aliorum locis, ubi Posidonium teneri certa res est, haud pauca quae continentur Straboniana illa terrae descriptione vel relata iam sunt ad Apameensem geographum[3]) vel facili negotio possunt referri. At

1) cf. Mueller *g. gr. m.* II p. XXIII p. 104. 117. Muellenhoff, *D. Alterthumsk.* I p. 358 adn. 2. Goethe, *de fontibus Dionysii Periegetae* p. 7 sqq.

2) cf. Berger, *Erat. fragm.* p. 215.

3) cf. Muellenhoff, *D. Alterthumsk.* II p. 303 sqq.; Ruge, *quaestiones Strabonianae* p. 12. 27. 29; Wilkens, *quaestiones de Strabonis aliorumque rerum Gallicarum auctorum fontibus* p. 24; Zimmermann, *Posidonius u. Strabo: Herm.* v. XXIII p. 103 sqq., ubi p. 117 sq. de ipsa Libya agitur.

singula testimonia anquirere molestum est et nimis longis ambagibus res adeunda quam quae possit in transitu tractari. Ut igitur redeamus eo unde longiuscule sumus digressi, mira ista de Libyae configuratione opinio quae ex Eudoxi mente profecta esse videtur vulgaris facta est posteriore aetate, tametsi quae in terrarum descriptionem Hanno primus induxerat loca, Theon Ochema montem potissimum et Gorgadas insulas, alius ad alium orae tractum transtulerunt. Ac quamquam summopere enisus est Ptolemaeus, ut pravam hanc sententiam redargueret, tamen adeo non vicit, ut in ea perstarent omnes fere medii aevi geographi. Itemque in mediae aetatis tabulis ita Libya pingitur, ut ab Herculis columnis ad Hesperi usque Cornu occidentalis pertineat ora, hinc meridionalis ad *Νότου Κέρας*, cui 'montes, qui perpetuis ignibus flagrant ascribuntur'.

Nec vero solum geographica commenta Hannonis periplus excitavit, sed procreavit etiam mythologica. Erat in eo sinu qui sub Hesperi Cornu patebat magna insula; ad quam cum appulissent Carthaginienses, *ἡμέρας μὲν οὐδὲν ἀφεώρων ὅτι μὴ ὕλην, νυκτὸς δὲ πυρά τε πολλὰ καιόμενα καὶ φωνὴν αὐλῶν ἤκουον κυμβάλων τε καὶ τυμπάνων πάταγον καὶ κραυγὴν μυρίαν.* Haec autem instrumenta cum alia occasione data tum adhibentur ludis sollemnibus, qui Dionysio passim in Graeciae, Thraciae, Asiae regionibus concelebrantur[1]): aguntur ista *Νυκτέλια* (cf. Plut. qu. conv. IV, 6, 13. Serv. ad Aen. IV, 303) *Διονυσίῳ νυκτερινῷ* (cf. Plut. ib. VI, 7, 2): pervagantur facibus praeditae dei comites silvas tantoque eas implent clamore et strepitu, ut valles repercussae respondeant *τῷ αὐλῷ καὶ κτύπῳ κροτάλων τε καὶ κυμβάλων καὶ τυμπάνων καὶ ταῖς ἐπιβοήσεσι καὶ εὐασμοῖς* (cf. Strab. X, 3, 15 p. 470 C). Itaque Graeci, qua erant ubertate ingenii et celeritate, non dubitabant cum hisce bacchanalibus conferre quae Hanno mira rettulerat. Cuius rei certa vestigia non frustra quaeruntur. Primum enim Plinius (V, 1, 7) auctor est, Atlantem (eum intellege, quem in medias arenas quidam detruserunt: cf. V, 1, 10. Mela III, 101) noctibus micare crebris ignibus, Aegipanum Satyrorumque lascivia impleri, tibiarum ac fistulae cantu tympanorumque et cymbalorum sonitu strepere. Iidem Bacchi satellites apud Melam (III, 95; cf. Plin VI 30, 197)

1) cf. F. A. Voigt in *Rosch. lex. myth.* p. 1029 sqq.

visuntur non procul ab Hesperio promunturio. Denique eodem spectat, quod Dionysius Scytobrachion (cf. Diod. III, 68) Dionysium ipsum prope Hesperi Cornu natum fecit, ortum Ammone et Amalthea: Ammonem enim *ἐρασθέντα αὐτῆς* (sc. *Ἀμαλθείας*) *καὶ πλησιάσαντα γεννῆσαι παῖδα τῷ τε κάλλει καὶ τῇ ῥώμῃ θαυμαστὸν, καὶ τὴν μὲν Ἀμάλθειαν ἀποδεῖξαι κυρίαν τοῦ συνεγγὺς τόπου παντός, ὄντος τῷ σχήματι παραπλησίου κέρατι βοός, ἀφ' ἧς αἰτίας Ἑσπέρου Κέρας προσαγορευθῆναι!*

Imprimis autem ultima itinerarii Hannonei paragrapho usi vel potius abusi sunt mythographi Graeci et mira inde et inaudita elicuerunt. Erant Hannonis verba haec: *Ἐν τῷ μυχῷ νῆσος ἦν λίμνην ἔχουσα καὶ ἐν ταύτῃ νῆσος ἦν ἑτέρα, μεστὴ ἀνθρώπων ἀγρίων. Πολὺ δὲ πλείους ἦσαν γυναῖκες, δασεῖαι τοῖς σώμασιν· ἃς οἱ ἑρμηνέες ἐκάλουν Γοργάδας. Διώκοντες δὲ ἄνδρας μὲν συλλαβεῖν οὐκ ἠδυνήθημεν, ἀλλὰ πάντες (μὲν) ἐξέφυγον, κρημνοβάται ὄντες καὶ τοῖς πέτροις ἀμυνόμενοι, γυναῖκας δὲ τρεῖς, αἳ δάκνουσαί τε καὶ σπαράττουσαι τοὺς ἄγοντας οὐκ ἤθελον ἕπεσθαι. Ἀποκτείναντες μέντοι αὐτὰς ἐξεδείραμεν καὶ τὰς δορὰς ἐκομίσαμεν εἰς Καρχηδόνα.* Ex his radicibus duae potissimum natae sunt Graecorum opiniones[1]). Exstiterunt, qui mulierum imperio regi huius terrae incolas putarent et *ἔθνος γυναικοκρατούμενον* sibi fingerent, unde in promptu erat conicere Amàzonas quondam sedes et domicilium hic collocasse; en habes eas: *Οἱ πολλοὶ ὑπειλήφασι* (ait Diodorus III, 52) *τὰς περὶ τὸν Θερμώδοντα ποταμὸν ἐν τῷ Πόντῳ λεγομένας κατῳκηκέναι μόνας ὑπάρξαι· τὸ δ' ἀληθὲς οὐχ οὕτως ἔχει, διὰ τὸ πολὺ προτερεῖν τοῖς χρόνοις τὰς κατὰ Λιβύην καὶ πράξεις ἀξιολόγους ἐπιτελέσασθαι.* Similia narravit Zenothemis (cf. schol. Ap. Rh. II, 965) nec non quae Myrina duce ibi ab eis gerebantur res concelebrabantur carmine (cf. Anth. lat. R. 860). Cum vero ab Hercule victae et deletae fama ferrentur, necessario hic quoque in itineribus suis penetravit ad Hesperium promunturium.

Atque eodem modo Hannonis narratio ad Graecorum notiones adaptata causa erat, cur haud pauci Gorgonum sedes in occidua hac Libyae ora quaererent. Quamquam enim vel antiquissimis temporibus Gorgones in occidentalibus terris sive ad oceanum sive in insula eius habitantes fecerant poetae et mythologi (cf. Hes. Theog. 274 sqq. Pherecyd. in schol. Ap. Rh. IV, 1515. Kypr.

1) cf. Mueller *proleg.* p. XXX.

fr. 21 K.[1]), tamen certo loco earum domicilium post Hannonis demum periplum eiusque auxilio tribuitur, veluti apud Palaephatum (incred. XXXII) Phorcyis filiae *οἰκοῦσι νῆσον τὴν Κυρήνην ἔξω οὖσαν τῶν Ἡρακλείων στηλῶν*. Dein vero a posterioribus Gorgadum insulae[2]) vulgo opponuntur Hesperio Cornui — nam anxie Hannonis notis non adhaerescebant — (cf. Mela III, 99. Plin. VI 31, 200. Solin. 229. 230 M.). Verum earum situm aliqua saltem ex parte unus retinuit Mela, qui (cf. III, 93) ultra Theon Ochema montem famosarum feminarum insulam reperiri tradidit. Denique mera monstra narrat et portenta loquitur Diodorus III 4, 52, qui Gorgones gentem Libyae occidentalis fuisse autumat, non procul dissitam ab Amazonibus et cum his belligerantem. Contra id ex ipsa fabulae natura consequitur, Perseum cum Gorgonibus huc transmigrasse (cf. Palaeph. l. l. Diod. III 55, 3. Plin. V 1, 7). Quae ratiocinatio si probabilitatem habet, sponte intellegitur inanem esse eam coniecturam, quam nuperrime protulit Carolus Tuempel.[3]) Is enim hanc ponit sententiam: 'Rhodier sind es auch nachweislich gewesen, welche die Sage von Perseus und den Gorgonen aus Kisthene nach dem westlichen Meer verpflanzten.' Iam ut hoc demonstret ad mira refugit commenta: revocat Palaephati insulam *ἔξω οὖσαν τῶν Ἡρακλείων στηλῶν* ad mare internum; componit mare Atlanticum cum Tyrrheno, Sarpedonis insulam *ἐν ὠκεανῷ βαθυδίνῃ* (cf. Kypr. fr. 21 K.) cum Sardinia. Postremo ad exteram progressus oram, ut hic Rhodios colonias condidisse ostendat, documentum affert aram illam ab Hannone quondam Neptuno extructam, cum dicat: 'Pseudo-Scylax erwähnt bei (!) der Insel Kerne einen Altar des Poseidon (wohl als Gatten der Gorgo); die zugleich angeführten „Daidalischen" Darstellungen von Delphinen etc. sind ein Beweis griechischer Besiedelung. (!)' Sed satis superque de his nugis! Nos, opinor, perseverabimus profiteri, Hannonis itinerario mythologos Graecos adductos esse, ut narrarent Herculi et Perseo in occidentali Libya laborata!

1) cf. W. H. Roscher, *Die Gorgonen und Verwandtes* 1879 p. 23. sqq.

2) Gorgades non diversas habitas esse a Gorgonibus veterum testimoniis allatis probat Steudingius in Roscheri *lex. myth.* p. 1694.

3) *Die Äthiopenländer des Andromedamythos. Studien zur rhodischen Kolonisation: Fleckeis. ann. suppl.* XVI (1888) p. 203 sqq.

Tabula argumenti.

Caput III.

Corrigenda.

p. 42 adn. 2 legas *Physische Erdkunde* pro *Physikalische Erdkunde.*
p. 85 v. 11 deleas interpunctionis signum post *domina.*
p. 88 v. 31 scribendum *quodam* pro *quondam.*
p. 91 v. 12 lege *quorum* pro *quoram.*
p. 108 v. 27 scribe *potuerunt* pro *potuerint.*
p. 121 v. 28 corrigas *διαιρουμένου.*

THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

CANCELLED

turned to
last date

incurred
specified

Digitized by Google

AH 8017.5
De Hannonis Carthaginiensis Periplo
Widener Library 004619929
3 2044 080 874 159

Digitized by Google